14.1.19

ECS #1275

T. P. Blanca.

TRACTATVS

DE VOCATIONE EFFICACI, QVAE

inter locos Theologiæ communissimos *recensetur, deq; locis specialioribus, qui sub vocatione comprehenduntur.*

VT DOCTRINA DE VOCATIONE illustrior evaderet, adjectæ sunt quæstiones *aliquot de modis illis, quibus Deo visum est jam inde à principio, homini verbum vtriusq; fœderis sui, revelare.*

Authore ROBERTO ROLLOCO *Scoto.*

EDINBVRGI
EXCVDEBAT ROBERTVS
Walde-graue Typographus Regius.
ANNO 1597.
Cum privilegio Regio.

SCS #1275

SERENISSIMO POTENTISSIMO.

que Principi, ac Domino suo,

IACOBO *sexto Scotorum Regi*,

gratiam & pacem à

Domino.

COgitanti de eo, in cuius nomine parvum hoc opusculum meum apparere vellem, O Rex, quidni debebat M. tua potißimum in mentem mihi venire, quæ primitias laborum meorum, cuiuscunque demum ij

sint generis, suo quodam jure sibi vendicat: & cui primitiæ primi illius generis laborum & scriptionum mearum, hoc est, commentationum, à me jam sunt oblatæ: An non igitur par erat, vt eidem quoq; primitiæ secundi hujus generis laborum nostrorum, quod cernitur in locis Theologiæ communibus tradendis, offerrentur. Ab hoc instituto, etsi multa erant quæ me deterrebant, inter quæ imprimis obversabatur mihi Majestas Regia, & ea quidem, vt ingenuè dicam, singulari quadam cognitione rerum diuinarum adornata, Maiestas,

ieſtas, inquam, cujus magnitudinem ferre non poterant, tenuitas iſta mea, ſimul & opuſculi hujus mei mediocritas: Tamẽ cum memoria repetebam, quanta ſemper eſſe ſoleat humanitas illa & clementia tua, cum erga omnes, tum verò imprimis erga me; decreui potius in ſuſpitionem audaciæ aliquam incurrere, quã officium erga M. tuam meum, aut potius pietatem humillimam, non teſtatam facere, vel hac ipſa hujus opuſculi mei, quantulumcunq; illud ſit, dedicatione. Accipe igitur, O Rex, non tam opuſculum hoc parvum, quàm teſtimonium

animi M. tuæ in Domino addictißimi, & paratißimi, pro eo ac debeo, & pro modulo mearum virium, ad obſequendum M. tuæ quacunque in re, & quàm poteſt fieri, ſubmiſſè. Sed quid eſt in quo ego M. tuæ queo inſeruire magis, quàm in eo, vt aßiduis & ſerijs cum Deo meo precibus agã, vt tu ipſius gratia ac beneficio ſingulari, virorum qui hoc noſtro ſæculo doctrina & pietate excellunt apud exteras gentes, opinionem illam præclaram, quam non immeritò ſuſtines, ad extremum vſque tuearis: vt, & in præſenti hac vita fœliciter reg-

nes,

nes, & in altera illa socius sis cœlestis illius regni (Præ cuius gloria, vt hoc dicam obiter, ego non ita pridem audiui te terrena ista regna omnia despicere, cum, inter alia, de Christo, deque precibus ad eum solum, non etiam ad Angelos, aut sanctos homines, qui hac vita defuncti sunt, concipiendis, in familiari quodam sermone, & non nisi paucis aliquot præsentibus, multa eruditè (Dicam ad Dei gloriã, absque vlla assentatione, quod res est) & piè suauiterque disserebas.) socius, inquam, sis cœlestis illius regni, ac cohæres cum

capite

capite tuo, ſummo illo rege, Domino ac hærede omnium, Jeſu Chriſto: Cujus gratia, miſericordia, & robur te muniant & protegant, tam corpore; quàm Spiritu, ab omnibus inimicis tuis, tam corporalibus, quàm ſpiritualibus, in ſempiternum. Amen. Edinburgi 5. Id. Junij. 1597.

T. M.

Servus addictiſſimus,

ROBERTVS ROLLOCVS.

Typographus Lectori. S.

DVm opusculum hoc D. Roberti Rolloci de efficaci vocatione typis committerem, venit fortè in manus D. Theodori Bezæ epistola, ad Scotiam D. Iohanni Iohnstono missa, quæ operum quorūdam ab eodem hoc authore editorum, et a me excusorum, commētarii, inquā, in Epistolā ad Ephesios, & Analysēos Epistolę ad Romanos, commendationem continebat. Eam itaque huic operi præmittēdam censui, vt tu (benigne Lector) quodnā viri illius in universa doctrina Theologica exercitatissimi, & de Ecclesia optimè meriti, de hujus Authoris scriptis judicium sit, perspiceres; & ex eo de cæteris ejus laboribus, vel hactenus exantlatis, vel imposterùm ad Ecclesiæ vsum exantlandis, æstimares: Deum (cum D. Beza) precatus, vt hunc hominem novis subindè donis auctum fœliciter conservet, & alios, quando ipsi visum fuerit, huic similes operarios in vineam suam emittat. Vale.

SPECTATÆ TVM PIETATIS, TVM DOCTRINAE VIRO, D. IOANNI IOHNSTONO amico summè observando.

Eriùs ad tuas literas, vt serò mihi redditas, respondeo, mi Iohnstone, *ex quibus pergratum mihi fuit intelligere te salvum ad tuos reversum, Ecclesias vestras in beato & tranquillo statu comperisse, quem illis perpetuum & securum in longos annos exopto. Et quidni sic futurum confidam? Quum & tàm præclarè iam inde ab initio fuerint à magnis illis & verè fidis servis Dei iacta earum fundamenta: & qui supervenerunt, non stipulas, neque fœnum; sed aurum & argentum, & lapides verè pretiosos superstruxerint: immò sanctis eorum laboribus sic Deus manifestè faverit, ut quicũque ad hoc Dei ædificium impegerunt, non modò suis conatibus exciderint; verùm etiam procul,*

cul, velut ipsius Dei manu, sint dissipati, & iam quasi in tenebras exteriores proiecti. Ad hoc accedit rarissimum & pretiosissimum illud Dei donum, quo vos est idem ille Deus dignatus, concesso vobis eo Rege, & in tot, tantisque periculis admirabiliter conservato, qui ad illud singulare pietatis tuendæ, & conservandæ puritatis Ecclesiarum studium, tantam Christianæ Religionis ex ipsis fundamentis cognitionem adiunxerit, vt in eo penè Dominus, & Regiæ Maiestatis, & sacri ministerij dignitatem videri possit simul contulisse, vt Scotiæ iampridem nihil deesse videatur, vnde optima & maxima quæque sint illi speranda, si modò, quod sanè futurum non immeritò confidimus, tanta hæc dona agnoscere, & sicut adhuc fecit, illa pergat ad rectum illum summum finem & scopum, id est, ad ipsius omnium bonorum auctoris gloriam dirigere. Hanc verò tam beatam sortem, tibi, cæterisque istic venerandis fratribus, hisce literis gratulandi gaudeo præbitam mihi occasionem, tùm ab eo vestrate, D. Davide Dromenio, viro pio, & non indocto, cuius præsentia aliquot dierum nobis hic fuit iucundissima, ad vos revertente, cui has literas cõmisi; tùm ex eo quòd hoc ipso tempore mihi contigit thesaurum nanciscì, qui nescio quo sinistro fato quamvis hîc in omni-

omnium aliorum conspectu versaretur, me tamẽ adhuc subterfugerat: thesaurum enim cur non appellem, & quidem pretiosissimum, illos honorandi summè fratris D. Rolloci, *tum in Epistolam ad Romanos, tum in Epistolam ad Ephesios, utramq; inter Apostolicas omnes Epistolas celebratissimam, commentarios? Sic enim ego quidem de ijs apud me statuo (quod absque ulla specie adulationis dictum velim) nihil adhuc legisse me in hoc interpretationis genere breuius simul, & tum elegantiùs, tum iudicioſiùs scriptũ, ut ipse me ijs inspectis continere nequiverim, nec etiam, opinor, debuerim, quin & Deo, de hoc utilissimo proculdubiò quamplurimis futuro labore, gratias magnas agerem, & tantum hoc vobis bonum, vel toti potiùs Ecclesiæ concessum gratularer, Deum precatus ut hunc hominem novis subinde donis auctum fœliciter conservet, hoc præsertim tempore, in quo propter tantàm operariorum in excolenda Dei nostri vinea raritatem, & paucissimos ex veteranis illis exercitatissimis superstites, triumphare iam sibi de oppressa veritate Sathan cum suis videbatur. Cæterum, quod ad huius Ecclesiæ & Scholæ statum attinet, perstamus quidem adhuc illa verè, ipsis etiã nostris hostibus admirabili, omnipotentis Dei, et Servatoris nostri manu ve*

lut

lut ex ipsis mortis faucibus erepti, sed solis adhuc καθ' ἀνθρωπον *inducijs cũ hoc anno finiendis freti, & ab ijs necessariò pendente nostro statu, quæ tandem in illo nunc Rothomagi coacto cœtu, vel de bello, vel de pace, (in qua & nos æquis conditionibus comprehendamur) inter ipsum Galliæ Regem & vicinum nobis principem brevi decretum iri speramus. In hoc autem tam incerto statu illud nos planè solatur, quòd sciamus istud quantumvis tenue & fragile filum, à quo veluti suspensi nunc pendemus, ipsius Dei nostri manu teneri, nunquam passuri ut falsum comperiatur quod, & ex Apostolo didicimus, & toties reipsa sumus experti, Omnia videlicet eorũ qui Deum diligunt bono cedere. Vos autẽ interea nostri in assiduis vestris precibus memores esse quaso pergite. Ego verò iam ab aliquot mensibus, etsi neque febri, neque calculo, non denique podagra, vel acribus illis malis vexor, quæ senectam ferè consequuntur: tamẽ ita me sentio debilitatum, ut ab utroque publico munere meo penè cogar prorsus abstinere, me domi continens, & totus ad* ἀναλυσιν *illam optatissimam intentus: quo me 78. annum iam agẽtem, ætas ipsa vocat: qua in re tuas & piorum omnium fratrum preces requiro, & quidem nominatim venerandi mihi fratris* D. Melvini, *itidemque* D. Petri Iunij,

que

quem, nisi me fallit memoria, D. Scrimgerus *beatæ memoriæ, sibi cognatum hîc olim appellabat; quibuscum, adiuncta meo nomine officiosissima salutatione, peto ut has tibi communes esse literas velis: Deum precatus, mi suavissime frater, ut vos ist hîc omnes quam potentissimè & fœlicissimè adversus omnia pericula domi & foris tueatur. Bene vale.* Genevæ, *Calendis Novembris, vetere nostro calculo.*

cIc Ic xcvi.

Tuus Beza totus.

VT INTELLIGAT LECTOR quem locum habeat sequens tractatus *De Vocatione efficaci in doctrina theologica*, placuit Methodi locorum Theologiæ hæc quasi prima *et rudia quædam lineamenta ducere.*

1. DOctrinæ Theologicæ summa & generalissima capita duo sunt,
   1. de Deo. 2. de operibus Dei.
2. Capiti primo generalissimo de Deo subalterni sunt loci,
   1. De natura Dei & ejus attributis, quæ vocantur, essentialibus, ut Misericordia, Iustitia, potentia, Sapientia &c.
   2. De Trinitate sive tribus in unica Deitatis essētia personis
3. Caput secundum generalissimum, quod est de operibus Dei, habet sub se locos speciliores
   1. De opere Dei quod ab æterno est, cujusmodi est generalis providentia & decretū Dei generale de omnibus creaturis, quod inde ab æterno est. 2. De opere Dei quod in tempore est, quodque cernitur in exequutione æterni illius Decreti & providentiæ divinæ.
4. Sub loco de exequutione decreti, continentur speciales alij
   1. De creatione rerum omnium. 2. De administratione rerū omnium creatarum.
5. Sub loco generali de creatione continentur speciales alij de particularibus creaturarum speciebus, nominatim verò locī de rationalibus creaturis
   1. De Angelo. 2. de homine.
6. Ad locum de homine pertinent inferiores alij
   1. De innocentia. 2. De lapsu & peccato primo. 3. De reparatione ipsius.
7. Ad locum de reparatione pertinet locus
   De Christo Mediatore in quo facta est reparatio.
8. Ad locū de Christo Mediatore pertinēt loci subalterni alij
   1. De

1. De natura ejus. 2. De personali unione duarum naturarũ 3. de officio ipsius triplici. 4. de beneficijs ipsius sive benedictionibus spiritualibus quibus nos benedicit Deus pater in Filio suo Iesu Christo.

9. Ad locum de beneficijs siue benedictionibus Dei in Christo Iesu pertinent inferiores loci de particularibus beneficijs,
1. De prædestinatione hominis ad vitam, sive electione in Christo quæ fuit ante tempora sæcularia. 2. De vocatione Dei in Christo, quæ est in tempore. 3. De justificatione Dei in Christo. 4. De Dei in Christo nostri glorificatione.

10. Ad locũ de Prædestinatione hominis ad vitã pertinet locus de prædestinatione hominis ad mortẽ, sive de reprobatione

11. Ad locum de Vocatione pertinent plures subalterni alij
1. De Verbo Dei, sive de fœdere Dei utroq; tàm operum, quàm gratiæ. 2. De Scriptura sacra. 3. De peccato. 4. De fide. 5. De spe. 6. De Charitate. 7. De resipiscentia. 8. De libero arbitrio, sive de natura hominis. 9. De gratia Dei.

12. Ad locum de glorificatione pertinent loci
1. De Regeneratione. 2. De bonis operibus. 3. De merito operum.

13. His omnibus locis de benedictionibus Dei in Christo Iesu, subjecti sunt loci,
1. De Sacramentis, quasi superiorum omnium sigillis. 2. De Ecclesia Dei, quæ ex superioribus benedictionibus unâ cum Sacramentis suis consurgit, & ad quam eæ omnes pertinent.

14. Ad locum de Ecclesia spectat locus
De Disciplina Ecclesiastica.

TRACTA-

TRACTATVS DE VOCA-tione efficaci, deq; particularibus aliquot locis theologicis sub ea comprehensis.

De Vocatione efficaci.

CAP. 1.

VOCATIO Dei efficax est qua Deus præscitos ab æterno & prædestinatos ad vitã, ex mera sua gratia per promulgationem fœderis gratuiti sive Evangelij prædicationem, vocat ex tenebris in lucem suã admirabilẽ, à potestate Satanæ ad Deum, in Christo Iesu; vocati autem eadem Dei gratia respondent, creduntq; in eum per Iesum Christum. Responsio hæc fidei est, quæ reipsa est conditio promissionis quæ est in fœdere gratuito. Quare efficax vocatio consistit in promissione fœderis quæ fit sub conditione fidei, & in fide, quæ nihil aliud est quã impletio conditionis.

Vocationis igitur efficacis duæ sunt partes, prior est externa Dei vocatio prædestinatorum ad vitam, à tenebris ad lucem, idq; ex sola Dei gratia, & per promulgationem fœderis gratuiti sive prædicationem Evangelij. Posterior est interna fides ex eadem Dei gratia sive per Dei Spiritum, à Satana ad Deum: nam posterior Vocationis pars quomodò à fide differat reipsa non video.

In priore parte Vocationis efficacis primùm consideramus personas, vocantem & vocatam; Vocans est Deus propriè solus, qui solus promittit in fœdere suo, qui vocat ea quæ non sunt tanquã sint *Rom.4.17*. Persona vocata, sunt ij quos præcognovit Deus & prædestinavit ad vitam: Nam quos prædestinavit eos vocavit. *Rom. 8.* Secundò in prima parte vocationis efficacis habemus causam quæ movit Deum ad vocandum nos. Est autem sola ipsius gratia; nam causa omnium beneficiorum Dei erga nos, est in ipso Deo: Vt enim prædestinavit nos in se pro benevolo affectu voluntatis suæ. *Ephes.1.5.* sic vocavit nos in se, justificavit in se, glorificavit in se, ad laudem gloriæ gratiæ suæ, vt ipsi in solidum sit omnis gloria. Tertiò habemus instrumentum vocationis, quod quidem est fœdus promul-

promulgatum, vel Evangelium prædicatum. Quartò in priore hac parte vocationis efficacis habemus terminos, à quo, et ad quē: Terminus à quo sunt tenebræ, potestas Satanæ, misera illa nostra conditio, quę est extra Christum, posita in peccato & morte: Terminus ad quē est lux, Deus ipse, deniq; beata hominis in Christo conditio. Ex his videmus locum de verbo Dei, item locum de peccato & miseria, subalternos esse loco de vocatione tanquam capiti generalissimo.

In posteriore efficacis vocationis parte habemus hæc capita notanda. Primùm causam responsionis siue fidei nostræ in Deum, ipsius Dei gratiam, qui fidem hanc intus operatur in nobis per Spiritum sanctum suum cum verbo suo communicatum: Vt enim Deus ex gratia sua vocat nos exteriùs ad se, ita ex eadē sua gratia in Christo Iesu accendit in nobis fidem eam, qua nos ipsi respondemus.

In secunda parte vocationis quam in fide ponimus, si lubet eam subtiliùs distinguere, duplex est Dei gratia sive operatio in cordibus nostris; Prima est dum per Spiritū suum sanctum creat novam & cælestem lucem in mente priùs obtenebrata, quæ nec vidit, nec videre potuit ea quæ sunt Spiritus Dei. *1. Cor.*

2.15. Animalis homo non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei, sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere. In voluntate prorsus perversa ac a Deo aversa creat rectitudinem, denique in omnibus affectibus novam sanctitatem. Ex hac creatione existit illa noua quæ vocatur creatura, ille novus qui vocatur homo, qui secundum Deum conditus est ad justitiam & sanctimoniâ veram. *Ephe.4.24.*

Papistæ hanc primam in fide gratiam et Spiritus sancti operationem vocant non creationem novæ alicujus creaturæ, quæ anteà non fuit, sed exsuscitationem bonitatis & sanctitatis, quam dicunt etiam mansisse in natura hominis post lapsum illum primævum, & quam libertatem arbitrij vocant, quam in lapsu non planè interijsse dicunt, sed attenuatam modò & debilitatam fuisse. Atque hæc, quam vocant, libertas arbitrij, nihil est aliud profectò, quam naturæ illa sanctitas & vita Dei, lux spiritualis, quacum creatus est jam olim homo in principio. Sed de ea suo loco erit dicēdum. Dicunt igitur post lapsum hominis mansisse non solùm facultates animi, sed etiam qualitates sanctas facultatum, sed læsas ac debilitatas. Atque hæc est ipsis illa arbitrij libertas quam dicunt excitari per prævenien-

tem

tem sive operantem gratiam, quam definiunt motionem foris quasi stantem ad ostium cordis, ipsumque pulsantem. In prima gratia, quam dicimus creationem sanctarum in anima qualitatum, homo habet se tantùm patheticè, & est tanquam materia. In illa enim prima creatione siue redintegratione omnis boni & sancti in facultatibus animi, quæ sancta qualitas esse potest cujus beneficio cooperetur animus cum Spiritu Dei, cum gratia operante? Non tamen dicimus hominem in nova illa creatione habere se vt truncum aut stipitem, quum in anima hominis sit potentia passiua, vt sic dicam, ad recipiendam illam sanctam qualitatem & vitam Dei, sit facultas ac vita rationalis, quæ quidem potentia non est in trunco aut stipite. Adversarij autem dicunt in excitatione libertatis arbitrij cooperationem esse ipsius libertatis, quæ vel recipit & admittit, vel rejicit illam gratiam, quam dicunt operantem siue prævenientem. Ergo operationem tribuunt gratiæ, cooperationem vero libero arbitrio.

Secunda gratia siue secunda Spiritus Dei operatio in secunda vocationis nostri parte, siue in fide, est ipse actus fidei, vel actio promanãs à nova illa creatura, mẽtis illuminatæ

actio in cognoscendo Deum in Christo, voluntatis sanctificatæ actio in amplectendo vel apprehendendo Deum in Christo. Hic agens principalis, siue principalis operans, est ipse Dei Spiritus, qui post primam illam gratiam & creationē manet ac habitat in nobis, at manendo non otiatur, sed perpetuò aliquid boni agit & operatur in nobis & per nos. Secundarius agens siue cooperans est ipse animus humanus, vel potiùs novus homo, et in animo ac facultatibus animi ipsa nova creatura. Per hanc Spiritus S. vt sic dicā, cognoscit, vel quod idem est, in cognoscendo Deum Spiritus sanctus vtitur nova creatura: per hanc Spiritus sanctus Deum in Christo amplectitur atque apprehendit. Sic loquitur Paulus *Rom. 8.* Spiritus sanctus, inquit, interpellat pro nobis suspirijs inenarrabilibus. Ecce actionem suspirandi Spiritui tribuit, tanquam principali agenti. In hac secunda gratia quæ est actio sive opus fidei, non jam habemus nos ipsi merè patheticè, sed acti per Spiritum sanctū agimus, excitati ad credendū credimus, vno verbo cū operante Spiritu S. cooperamur, ac Spiritus sancti συνεργοι sumus.

Adversarij dicunt secundam gratiam in fide esse actionem liberi arbitrij, qua nos per liber-

libertatem arbitrij nostri disponimus nos ipsos, & præparamus ad gratiam justificantem, credendo, sperando, pœnitendo. In hac actione principalem agẽtem dicunt non Spiritum quidẽ, vel motionem, vt ipsi loquuntur, Spiritus; verùm libertatem arbitrij, quam dicunt in agendo præire & operari, cum illa motio Dei subsequatur & cooperetur. Nihil hîc loquuntur de Dei Spiritu, siue in prima, siue in secunda gratia, qui revera agens est in vtraque sicuti diximus, sed motionem nescio quam foris stantem & pulsantem Spiritus sancti loco substituunt. Hanc motionem dicunt excitare libertatem arbitrij, hanc dicunt cooperari cum libertate arbitrij jam operante, nosq; ad gratiam justitiæ præparante. Hæc eorum doctrina peregrina est, neq; sapit Scripturam Dei sanctam aut Scripturæ phrasin. Hactenus de gratia Dei in fide, siue secunda vocationis nostri parte duplici.

Deinde in ea considerandi sunt termini, qui ijdem sunt, qui in vocatione eam antecedente fuerant. Ad hanc secundam efficacis vocationis partem pertinet Doctrina fidei, quæ reipsa videtur eadem cum ea. Fidem sequuntur Spes, Charitas, Resipiscẽtia; Resipiscẽtiæ subalternus est locus de libero arbitrio.

De verbo Dei siue fœdere in genere, & de fœdere operum in specie.

CAP. 2.

LOco generalissimo de vocatione subalternus est primùm locus de verbo Dei siue fœdere, deinde locus de peccato & miseria hominis, tertio locus de fide, quã sequuntur spes, charitas, et resipiscentia. Quare nunc de verbo sive fœdere Dei erit dicendum, si primùm de hoc admonuerimus, quod totum verbum Dei ad fœdus aliquod pertineat: nihil enim loquitur Deus homini extra fœdus: Vnde à fœdere sive testamento Dei vtraque Scriptura & vetus & nova, qua continetur vniversum verbum Dei, appellationem suam est sortita.

Fœdus Dei in genere est promissio sub certa aliqua conditione. Est autem duplex, primum: fœdus operum; secundum, fœdus gratiæ. Paul. *Gal. 4. 24.* duarum pactionum disertè meminit, quæ in veteri Testamento adumbratæ sunt per duas fœminas tanquam typos, nempe, *Hagaram* ancillam & *Saram* liberam, Nam hæ, inquit, sunt duæ illæ pactiones. Nunc igitur de duplici hoc fœdere dicamus quædã, ac primũ de fœdere operum.

Fœdus

Fœdus operum, quod & legale siue naturale vocari potest, fundatum est in natura quæ fuit in creatione pura sanctaque, & in lege Dei, quæ in prima creatione insculpta fuit hominis cordi. Postquàm enim Deus naturam hominis creavit ad imaginem suam puram & sanctam, legemque suam insculpsit menti ipsius, percussit cum homine fœdus, in quo promisit ei vitam æternam sub conditione operum sanctorum & bonorum, quæ nimirum responderent naturæ creatæ sanctitati & bonitati, legique ipsius essent conformia. Quòd autem natura informata sanctitate, justitia, & legis notitia, sit fundamentum fœderis operum vel ex eo apparet, quòd non stetisset cum justitia Dei percutere fœdus sub conditione bonorum operum & obedientiæ legis perfectæ, nisi ipse naturam priùs creasset bonam sanctamq;, eiq; legem suam insculpsisset, ex qua bona illa opera proficisci oporteret. Quamobrem etiam cum populo Israelitico repetiturus esset fœdus illud operum, primùm dedit legem insculptam tabulis lapideis, deinde percussit cum populo fœdus suum, Facite hæc, inquiens, & vivetis. Ergo fundamẽtum fœderis operum erat, non quidem Christus, non gratia Dei in Christo, sed natura

tura hominis in prima creatione ſancta integra & legis notitia informata. Fœderis enim operum nullus fuit in principio mediator qui interceſſit inter Deum et hominem, ad hoc vt in ipſo tanquam mediatore Deus percuteret fœdus ſuum cum homine. Cur autem mediatore non fuerit opus in cauſa eſt, quòd etſi duæ fuerint partes contrahentes, tamen non fuerint inter ſe diſſidentes ita vt ad reconciliationem faciendam opus habuerint mediatore aliquo: Nam in fœdere operum pangendo Deus tanquam amicus cum hominibus tanquã amicis pactus eſt: In creatione enim fuimus deo amici, non autem inimici. Hactenus de fundamẽto fœderis operũ.

Quod in fœdere operum promittitur, eſt vita æterna primùm, non juſtitia: quia homo in creatione jam juſtus fuit & integer, cum originali illa, quam vocant, juſtitia; niſi dicas promiſſam eſſe in fœdere operum juſtitiam factorum & operum, qua Deus hominẽ poſtquam jam benè operatus eſſet, juſtum pronunciaſſet ac declaraſſet: Duplex enim eſt juſtitia conſideranda in fœdere operum, prima eſt juſtitia originalis, quæ nihil aliud eſt quã naturæ ſanctitas et habitus quidam. Hæc juſtitia extra controverſiam non eſt promiſſa in

fœdere

fœdere operũ: fuit enim fœderis fundamentum. Altera juſtitia eſt quæ ſequitur bona opera naturæ ſanctæ & juſtæ, vocarique poteſt Iuſtitia factorum: Poſtquam enim homo jam benè juſtèque feciſſet ſecundum juſtam bonamque naturam, tum iterum quaſi juſtus fuiſſet, & Deus eum declaraſſet juſtum ex bonis operibus factiſq; ſuis Deo gratis & acceptis, atque ſic jam juſtificato dediſſet vitam æternam. *Paulus* enim ad Romanos docet imputationem aliquam juſtitiæ ex operibus bonis eſſe, ſi modò ſint opera perfectè bona: Vnde vſurpatæ ſunt hæ loquutiones: *Abraham* non eſt juſtificatus ex operibus: Ex operibus nulla caro juſtificabitur. Hactenus de fœderis operum promiſſione, ſiue de rebus promiſſis in fœdere operum.

Nunc videamus ipſius conditionem. Fœderis operum cõditio eſt operum bonorum; operum, inquam, bonorum proficiſcentium non à Chriſto vel gratia Chriſti, ſed à natura ſola integra, legis notitia informata, perfectèque bona, qualis fuit in creatione: proficiſcẽtium videlicet ab ipſo fœderis operum fundamento. Ergo opera merè naturaliter bona duntaxat requiruntur, tanquam conditio in fœdere operum.

Ergo

Ergo hac conditione excludis fidem Christi? Excludo. An excludis quoque hac conditione à fœdere operum, opera gratiæ & regenerationis? Excludo quoque. At fœdus operum passim in Evangelio proponitur ijs qui sunt sub gratia & in Christo Iesu? Quoties enim benefacientibus promittitur merces vitæ æternæ? Ergo in fœdere operum intelligenda quoque sunt opera Regenerationis, quum istiusmodi opera requirantur ab ijs qui sunt sub gratia? Respondeo, antecedens falsum esse: Nam si quando audimus vel legimus in Evangelio gratiæ, bona opera requiri ab ijs qui in Christo sunt, & ab ipso jam justificati sunt, in eum scilicet finem vt vitam consequātur æternā, non est putandum agi cum ijs ex formula fœderis operum; quia in Evangelio ab ijs qui in Christo sunt, requiruntur bona opera, non quæ ex natura vel naturæ viribus proficiscuntur, sed tantùm quæ promanant ex gratia regenerationis. Nusquam enim legimus in novo Testamento eos qui in Christo sunt vrgeri ad opera illa fœderis operum quæ naturaliter bona sunt, aut ijs etiam proponi fœdus illud operum vt per ipsum & ipsius opera quæ naturaliter bona sunt vitam consequantur. Non enim leges vsquā

dictum

dictum ijs qui sunt in Christo: Facite hoc vestris viribus freti vt vivatis: quæ revera est sententia fœderis operum.

Nam quod ad illum locum, *Math. 19. 17.* in quo Christus dixit juveni cuidã, qui compellavit eum dicens: Magister quid boni faciam vt habeam vitã æternam; respondit autem Dominus ac dixit, Si vis ad vitam ingredi serva mandata: fateor equidem illo in loco agi de fœdere operum, et à Domino ibi propositam esse juveni fœderis operum formulam. Verùm sic respondit Dominus ei qui quærebat sibi vitam ex lege, & adhæsit fœderi operum, imò præfidebat operibus tanquam meritis. Cuivis autem qui est extra Christum, quæritque justitiam ex lege & operibus legis, proponenda est pactio operum legalium simul & norma legis operum, eo scilicet fine, vt si possit fieri, præparetur sensu peccati & miseriæ suæ ad fœdus gratiæ in Christo amplectẽdum. Dixit enim Iuvenis ille Domino, vt ad verba ipsius redeam, Quid boni faciam? Ergo quærebat vitam æternam ex factis, non ex fide Christi. Respondit itaque Dominus accommodatè ad quæstionem ab ipso propositam: Fac hoc & vives: Quæ formula nunquã proponi solet in Evãgelio ijs, qui semel Chri-

stum

ſtum ſunt amplexi & profeſſi: Nam ab ijs opera illa naturæ bona nunquam requiruntur ex formula fœderis operum, neque etiam promiſſiones ſunt ijs factæ ſub conditione iſtorum operum.

Requiruntur quidem fateor bona opera ab ijs qui jã in Chriſto ſunt, & juſtificati ſunt: ſed ea ſunt opera gratiæ & Regenerationis omnia, & quidem ſolius gratiæ, non etiam liberi, vt vocant, arbitrij, vel naturæ bona opera: vt ſcias ijs qui jam in Chriſto ſunt hactenus abolitum eſſe fœdus illud operum, quatenus per id vel juſtificatio vel ſalus obtinetur. Manet quidem, fateor, lex quæ eſt norma illorum operum propriè & primò, eorum, inquam, quæ requirebãtur in fœdere operum; ſed jam alium quendam vſum habet, manetque nunc vt norma & regula operum gratiæ & ſanctificationis: Ceſſavit ergo lex, vt norma eſt operum naturæ ex formula fœderis operum, manet verò ijs qui in Chriſto ſunt vt eſt regula operum gratiæ. Eadem enim Dei juſtitia perpetuò manet ſui ſimilis: Lex autem Dei eſt imago quædam juſtitiæ divinæ: Ergo lex Dei neceſſe eſt maneat in perpetuum, licet non ſemper eundem vſum obtinens, & eorundem operum regula & norma permanens,

nens. Sed de hoc posteà fusius erit dicẽdum.

Hic quæritur, an in fœdere operum requisita sunt ab homine opera bona in creatione prima, tanquam vitæ promissæ meritoria? Respondeo, minimè id quidem: sed requisita sunt ab homine in creatione tantùm vt officia gratitudinis erga Creatorem, propter illud creationis bonum, ad glorificandum videlicet Deum Creatorem. At inquies, *Paulus* ad *Rom.* quum disputat adversus opera naturæ, (nam in illa ad *Rom.* Epistola præcipuè adversus hoc genus operum disputat) disputat, inquam, adversus ea vt merita, non tantùm vt gratitudinis officia ac testimonia. Ergo verisimile est præscripta fuisse homini in creatione vt meritoria? Respondeo, *Paulus* ibi exagitat quidem ea vt merita, sed id facit non ex sensu suo, verùm ex hypothesi Iudæorũ, qui eo cæcitatis sunt prolapsi, vt opera naturaliter bona putarint non tantùm bona esse & justa: sed etiam meritoria esse justitiæ & vitæ. Sed de hac cæcitate Iudæorum dicemus posteà fusiùs. Hactenus de conditione fœderis operum, et omninò de fœdere operum pro ratione nostri instituti.

De

De Fœdere gratuito.

CAP. 3.

IN Fœdere quod vocant gratuitum vel Evangelicum, fundamentum primum est Mediator Iesus Christus, atque is crucifixus & mortuus: vel, quod idem est, sanguis mediatoris, cujus quidem efficacia est duplex: prima est ad satisfaciendum justitiæ & iræ Dei adversus peccata nostra, & propter violatum jam fœdus illud operum. Secunda est ad promerendum novam Dei gratiam & misericordiam erga nos. Atque hæc gratia sive misericordia Dei quæ profluit ex sanguine mediatoris secundum est fundamentum fœderis gratuiti, quo reconciliamur Deo, & cum eo in gratiam redimus. Fundamentum igitur proximum & immediatum fœderis gratuiti, est mera Dei gratia vel potius misericordia, quæ præsupponit hominum miseriam, non autem natura, aut aliquid in natura boni: cum naturæ bonitas jam post violatum fœdus illud operum planè perdita sit, hoc est, natura quod ad sanctitatem, justitiam, & sapientiam attinet amissa est: Nam libertatē arbitrij, hoc est, naturæ bonitatem & sanctitatem, attenuatam tamen & debilitatam, vt isti loquuntur, in natu-

ra

ra corrupta non agnoſcimus. Atque hæc de fundamento fœderis gratuiti. Super hoc fundamentum primùm ſanguinis Chriſti, deinde miſericordiæ Dei, exſtructum eſt fœdus illud quod vocant gratuitum.

Promittitur in fœdere gratuito primùm juſtitia, quam quidem neceſſe fuit primùm promitti, quia jam violato fœdere operum planè amiſſa & deperdita fuit originalis illa, quam vocant, juſtitia, & in ejus locum ſubingreſſa eſt injuſtitia. Iuſtitia autem ea quæ primùm omnium in fœdere gratuito promittitur, non eſt inhęrens aliqua, qualis fuit illa originalis: ſed juſtitia eſt ipſius mediatoris Chriſti, quę noſtra fit per fidē & imputationē Dei, vnde juſtitia Dei vocatur ab Apoſtolo: Nam ſine hac juſtitia quā imputatam dicimus non poſſumus omninò conſiſtere coram illo tribunali: per hujus autem juſtitiæ imputationem juſtificari dicimur corā Deo. Poſt hanc juſtitiam quæ conſiſtit in imputatione, in fœdere gratuito promittitur deinde inhærens quædam juſtitia, & naturæ ſanctitas atq; bonitas, qualis in lapſu hominis deperdita eſt, in hac quidem vita inchoanda, in altera verò perficienda. Atque juſtitia hæc inhærens nihil aliud eſt quam vita noſtra æterna, quæ in

terris inchoatur, in cęlis autem perficitur: fluitque vita hæc cæleſtis & ſpiritualis ex illa Chriſti juſtitia quæ nobis per fidem imputatur: nam Chriſti illa juſtitia ad vitã æternam in nobis eſt efficax per Chriſti Spiritum ſanctificantem & vivificantem. Atque hæc de promiſſione quæ eſt in fœdere gratuito.

Reliquum eſt vt videamus fœderis gratuiti conditionem. Nomen ipſum fœderis gratuiti nullam videtur fœderis conditionem præ ſe ferre: nam fœdus gratuitum ideò dicitur quòd Deus gratis, hoc eſt, vt videtur, citra omnem conditionem promittat nobis juſtitiam & vitam, nam qui gratis ſe daturum aliquid promittit, is nullam conditionem reſtipulatur. Sed verbum gratuiti, vel particula gratis, non excludit planè omnem conditionem: verùm eam tantùm conditionem excludit quæ eſt in fœdere operum, hoc eſt, conditionem virium naturæ, & operum naturaliter bonorum ac juſtorum, quæ omninò non poſſunt conſiſtere cum gratia Dei in Chriſto Ieſu. Neque enim libertas iſta arbitrij, quæ importat aliquam naturæ puritatem & ſanctitatem, neque etiam opera liberi arbitrij, quæ vocant, poſſunt cohærere cum gratia Dei in Chriſto Ieſu. Quam igitur, inquies, admittit illud

illud verbum (gratuiti, vel gratis) conditionē in fœdere gratuito? Respondeo non aliam profectò quam eam, quæ potest consistere cum Christo & mera Dei gratia: Ea autem sola est fides, quæ & ex gratia est (gratuitum enim est Dei donum. *Philip. 1.29.* datum est vobis non solùm in eum credere, sed etiā pro eo affligi) & pro objecto suo habet, primùm Christū, deinde misericordiam Dei in Christo Iesu: Fides enim amplectitur misericordiam Dei in Christo, & in nobis facit Christū efficacem ad justitiam & ad vitam. Ideò Paulus *Rom. 4. 6.* ex fide dicit hereditatem esse, vt sit per gratiam: & *Ephes. 2. 8.* Gratia estis servati per fidem, idque non ex vobis: hoc est, vt ipse exponit posteà, non ex operibus: Ex quo colligit salutem, quia ipsa est ex gratia Dei per fidem, merum Dei donum esse. Quamobrem cum gratia & misericordia Dei fides optimè consistit, vtpote sine qua non possit Christus & misericordia Dei in ipso efficax esse ad justitiam & ad vitam: Nisi enim fide recipiatur Christus & Dei in ipso misericordia, Christus & misericordia Dei in ipso nihil nobis ad justificationem & vitam prodesse possent.

Hic tamen notandum est Deum, qui promittit

mittit iustitiam & vitam sub conditione fidei, non tam habere rationem fidei quæ in nobis est, idque ex Dei dono, quam objecti, hoc est, Christi & misericordiæ ipsius Dei, quæ fide apprehendenda est: Nam non tam fides nostra apprehendens, quam Christus ipse, cum misericordia Dei in ipso, fide apprehensus, causa est cur Deus impleat fœderis promissionem in nobis iustificãdis & servandis. Quare conditio fœderis gratuiti non est fides sola, nec objectum fidei solum, quod est Christus, sed est fides cum Christo, hoc est, fides Christum apprehensura, vel Christus cum fide, hoc est, Christus fide apprehendendus.

Quamobrem illud semel notandum, idem esse re hęc tria, fœderis gratuiti fundamẽtum, fœderis gratuiti conditionem, denique causam cur impleat Deus fœderis gratuiti promissionem: Ratione tamen differentia est inter hæc aliqua: Nam Iesus Christus est fundamentum vt absolutè consideratur, citra applicationem aliquam quæ fit ad nos; Est autem conditio fœderis Christus vt ad nos applicandus & fide apprehendendus est: Conditio enim omnis est rei futuræ & præstandæ: Causa denique cur impleatur promissio fœderis, est Iesus Christus vt jam per fidem applicatus

plicatus est & apprehensus. Quum igitur dicit nos Paulus fide justificari, sensus est, nos justificari per Christum fide jam applicatum nobis in efficaci vocatione, quæ beneficium justificationis ordine naturæ antecedit.

Quæritur hîc, an non in conditione fœderis gratuiti aliquam partem habeant opera gratiæ & regenerationis, quæ vocãtur: excluſa enim jam ſunt opera naturæ bona omnia. Reſpondeo ne opera quidem regenerationis contineri in conditione fœderis gratuiti. Primùm enim fœdus gratuitum percutitur cum injuſtis & non regenitis; quæ autem poſſunt eſſe opera injuſtorum & non regenitorum bona & juſta? Deinde in fœdere gratuito promittitur ipſa regeneratio vnà cum omnibus bonis ſanctiſq; ſuis operibus: nam in fœdere gratuito promittuntur omnia dona Chriſti, promittitur omnis gratia credentibus: Promiſſio autẽ fœderis neceſſe eſt differat à conditione fœderis.

At, inquies, pluribus in locis novi Teſtamenti promittitur vita æterna ſiue merces, vt vocatur, vitæ æternæ, ſub conditione bonorum operum, hoc eſt, operum Regenerationis, vt *1. Timoth. 4.* Pietas ad omnia eſt vtilis, habens promiſſiones et hujus et futuræ vitæ,

Luc. 14. Retribuetur tibi in resurrectione justorum. *Math. 5.* Merces vestra est copiosa in cœlis. *Mat. 19.* Non perdet mercedem suam. *Gal. 6.* Bonum faciendo non fatigemur, tempore enim suo metemus non defatigati. *Eph. 6.* Scientes quod quisque fecerit boni, hoc reportabit à Deo. *Heb. 6.* Non injustus est Deus vt obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ministrastis sanctis. *2. Thess. 1. 6.* Tamen justum est apud Deum retribuere ijs vicissim qui affligunt vos, afflictionē : vobis verò qui affligimini relaxationem nobiscum.

Ad hæc respondeo: Vt quidem mihi videtur, in novo Testamento tria promissionum genera distincta sese offerunt. Primum est ipsa promissio fœderis operum, in qua promittitur vita æterna sub conditione operum ex naturæ viribus proficiscentium. Secundum est promissio fœderis gratuiti quę fit sub conditione fidei. Tertium genus promissionum efficiunt promissiones, vt sic eas appellem, particulares & subservientes fœderi gratuito, quæ passim inveniuntur in Evangelio sub conditione operum gratiæ & regenerationis factæ.

Hæc tria promissionum genera differunt primùm conditione, secundò proprietate, tertiò

tertiò subjecto, quartò fine & vsu. Primùm igitur conditione differunt, quia promissio in fœdere operum fit sub conditione operum naturæ & naturæ virium; in fœdere gratiæ promissio fit sub conditione fidei in Christum; in promissionibus illis quas dixi particulares, conditio est operum quidem, sed operum gratiæ & regenerationis, non autem naturæ vel virium quarumcunque naturæ.

Deinde proprietate differunt, quia promissio in fœdere operũ, est merè legalis atq; habet conditionẽ operum quæ tantùm existunt ex naturæ viribus, quæ lege præcipiuntur, & quorum Lex Dei norma est atq; regula: Opera autem naturæ vel naturalium virium, dicuntur propriè opera legis. *Rom. 9. 32.* Promissio autem in fœdere gratuito non est legalis, sed merè Evangelica, quia conditio in fœdere gratuito non est operis alicujus moralis & naturalis, sed fidei in Christum, adeòq; ipsius Christi fide apprehendendi. Denique promissiones illæ particulares partim sunt Euangelicæ, partim legales: Nam conditio est operum quæ sunt ex gratia & regeneratione, ac proinde quæ ratione sui principij Evangelica vocari possunt: quia tamen eorum ipsorum operum norma est lex moralis, ideò le-

galia etiam opera vocari possunt.

Differunt subjecto, quia promissio in fœdere operum proponitur ijs qui post violatum illud primum fœdus, quod est operum, jam mortui jacent in peccatis & offensis suis, intereà autem nullum adhuc sensum habent peccati & mortis; Promissio verò in fœdere gratiæ proponitur quidē ijs, qui mortui quidem sunt in peccatis & offensis, sed sensum habent peccati, mortis, & miseriæ, excitatum jam per legem & fœdus legale; Denique promissiones illæ particulares proponūtur jis qui jam per fidē Christi justificati sunt & renati.

Postremò differunt vsu & fine, quia fœderis operum propositi & expositi finis est, vt peccatores & miseri qui sine sensu sunt peccati & miseriæ suæ, excitētur ad agnoscēdum & sentiendum peccatum & miseriam suam, hoc est (quod dicit Paulus *Rom. 7. 9. 10.*) vt peccatum reviviscat, ipsi verò moriantur, id est, sentiant se mortuos esse in peccatis & offensis. De hoc fine leges plurimis alijs in locis, vt *Rom. 3. 19. 20. & 11. 32. Gal. 3. 22. & 5. 23.* Hic enim vsus est fœderis operum, ad ingignendum sensum peccati & miserię, & ad homines ad gratiam recipiendam præparādos; Ideò doctrina evangelica initium sumit à doctrina

ctrina fœderis operum & legis moralis; Frustrà enim in fœdere Evangelico justitia & vita credentibus proponitur, nisi priùs sensu injustitiæ suæ & præsentis mortis præparẽtur ad audiendum & recipiendum fœdus Evangelicum. Ideò ipse Christus primùm *Math. 5.17.* & deinceps, legem vindicat, expurgatque à fermento Phariſæorum & ipsius ακριβοδικαιοσυνην exponit, eo videlicet fine, vt homines primùm omnium agnoscerent ex doctrina fœderis operum & legis moralis quàm miseri essent natura, & hoc cognito præpararentur ad fœdus gratuitum. *Math. 19.* Christus sic juvenem illum divitẽ, qui ad ipsum venit discẽdi causa, vt præ se ferebat, præparavit ad fœdus gratiæ recipiendum; Vis, inquiens, ad vitam ingredi? serva mandata. Paulus doctrinam suam in Epistola ad Romanos à fœdere operum & legis exorsus est, in eaque doctrina tria ferè prima Epistolæ suæ capita insumpsit, in eum scilicet finem, vt omnes sub peccato & condemnatione concluderet, atque ita præpararet ad doctrinam fœderis gratuiti, quam inchoat *Rom. 3.21. Gal.4.21.* Galatas qui voluerunt esse sub lege, vt ipse loquitur, docet servitutem illam miseram, & tandem ejectionem ex regno Dei eorum omnium, qui sunt sub lege,

lege: eo, videlicet, fine, vt Galatæ renuncian-tes justitiæ quæ est ex lege et fœdere operum, consectarentur justitiam, quæ est ex fide & fœdere gratuito. Sed multa occurrunt hujus rei documēta quib. nos nunc supersedemus.

Finis deinde vsusque promissionis in fœdere gratuito, est vt homines jam dejecti & prostrati sensu peccati & miseriæ suæ, per legem & fœdus legale, erigantur & consolationem accipiant, audita illa justitia & vita, quæ gratis promittitur et offertur credentibus, in fœdere gratuito. De hoc fine lege. *Rom. 5.* Iustificati ergo ex fide pacem habemus erga Deum. Hic finis Evangelicæ doctrinæ proprius est; ideòque secunda et potissima pars Evangelicæ doctrinæ cernitur in doctrina fœderis gratiæ, quæ etiam propriè & præcipuè doctrina Evangelica appellanda est, vt quæ sit de Christo mediatore, de ipsius humiliatione primùm, deinde glorificatione, denique de beneficijs Christi, de vita & justitia per ipsum, in quibus cernitur Evāgelium, & lætum illud salutis nuncium.

Denique promissionum particularium finis est, vt justificati, renati, erecti, & pacati jam conscientijs, gratitudinem suam sanctis bonisque operibus testatam faciant. Hunc finem

nem ostendit Apostolus, *Tit. 2.11.12.* Illuxit enim gratia illa Dei salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperāter, justè, et piè vivamus in præsenti sæculo. Hic cum sit finis harum promissionum, habēt ipsæ locum in tertia parte doctrinæ Evangelicæ, quæ est de sanctis & Christianis moribus; vnde videas promissiones has passim commisceri cum exhortationibus, admonitionibus, & præceptionibus, quæ fiunt in doctrina illa paræneticaq; est de moribus: vt *Gal.6.* postquam versu 6. præcepit vt qui instituitur in sermone, communicet ei qui ipsum instituit omnia bona: deinde versu 7. & 8. subjicit promissionem simul & comminationem. Ibidem versu 9. postquam præcepit non esse segnescendum benefaciendo, subjecit promissionem; Tempore suo, inquiens, metemus si non elāguerimus. Sic *Eph.6.* postquam servis præcepit sincerum famulitium, vers. 5.6.7. subjecit promissionem versu 8. Quicquid boni fecerit quisque hoc eum reportaturum à Domino. Hujusmodi testimonia passim occurrunt, in quibus videas præceptiones, exhortationes, cum promissionibus & comminationibus, conjunctas esse. In hoc itaque genere sunt il-

lę

lę omnes promissiones à nobis suprà citatę, quę diligenter distinguendę sunt, primùm à fœdere operum, deinde à fœdere gratię, sicubi occurrunt inter legendum novum Testamentum.

De quibus postremò hæc admonenda sunt. Primùm, conditionem operum regenerationis & gratię in ijs requiri, non vt meritorum, sed vt officiorum duntaxat, & testimoniorum gratitudinis in Deum redemptorem: quemadmodum conditio in fœdere operum non est meritorum, sed officiorum duntaxat, & testimoniorum gratitudinis in Deum creatorem. Sunt quidem, fateor, ad vitam illam ęternam quę promittitur, opera ista regenerationis necessaria; sed non tanquã merita aut causę meritorię, verùm tanquam media, per quę progrediendum est à justificatione & regeneratione, ad gloriam & vitam ęternam. Causę quidem etiam dici possunt suo quodã modo & loco; placent enim Deo in Christo, eumque suo quodam modo movent, verùm non vt merita, sed vt solius meriti Christi effecta quędam, de Christi merito testantia. Sed de his alius erit dicendi locus.

Deinde secundum est de quo admonemus in hoc tertio promissionum genere, nempè, quod

quod in eo conditio sit operum regenerationis & quidē perfectissimorum; Iustitia enim Dei summa & exquisitissima non potest ferre, vel vnius apicis, aut vnius jota defectum. Regula autem omnium operum est justitia Dei, cujus imago quędam in lege morali expressa est. Quare conditio est operum quidem perfectissimorum, verùm non in sese, sed in Christo, & in perfectione satisfactionis ac meriti ipsius.

Si objicias. An non Lex prȩcipit & requirit operum perfectionem eam, quę sit in ipsis operibus? Respondeo: Ab ijs quidem qui sunt sub fœdere operum, sub lege, & extra Christum, eam, fateor, perfectionem postulat lex, quę sit in ipsis operibus. At ab ijs qui sunt sub fœdere gratię, & in Christo, eam perfectionem quę sit in ipsis operibus regenerationis non postulat: Verùm contenta est inchoatis duntaxat in sese operibus, perfectis verò in Christo Iesu: Vt enim nos nondum justificatos & renatos, justificavit ex mera sua misericordia, in Christo ipsiusque merito: ita, vel multò magis, jam justificatos & renatos, nos ipsos, & opera nostra pariter, acceptabit in Christo ipsiusq; merito. Sic enim argumentatur Apostolus *Rom. 5.9.* Iustificati igitur e-

jus

jus ſanguine, ſervabimur nunc multò magis per eum ab ira. Atque hęc de tribus illis promiſſionum generibus quę diſtinctè inveniuntur in novo Teſtamento.

De quibus poſtremò illud quęri poteſt: An non etiam hęc ipſa quoque diſtincta inveniantur in veteri Teſtamento? Reſpondeo id quidem ita eſſe, ſed non ſine diſcrimine aliquo: vetus enim Teſtamētum potiſſimùm inſerviebat prępparandis hominibus ad Chriſtum venturum ſuo tempore. Lex enim pędagogus erat ad Chriſtum ducens. *Gal.3.* Ideòque maxima pars veteris Teſtamenti inſumpta eſt in proponendo, repetendo, explicando fœdere operum; Quia autem Chriſtus nondum manifeſtatus eſt in carne, ideò in veteri Teſtamento obſcurior, & parcior fuit doctrina fœderis gratuiti. Poſtremò in veteri Teſtamento, ijs qui ſunt amplexi Chriſtum, fœderis gratuiti mediatorem, vtcunq; adumbratum typis & figuris, ijs, inquam, tanquam juſtificatis jam in eo venturo, & renatis, factę ſunt promiſſiones vitę ęternę, ſub conditione operum regenerationis; vt eſt hęc promiſſio facta *Abrahamo. Gen. 17. 1.* Continenter ambulato coram me, & eſto integer, & ſanciam fœdus meum tecum; promiſſio

hęc

hęc facta est, jam per fidē justificato,& renato. Hujusmodi promissiones insperse sunt doctrinę parenęticę & morali,quę habetur in veteri Testamento, vt est doctrina Proverbiorum,& Ecclesiastes,&c. Atque hęc hactenus dicta sunto, de fœdere gratuito, ejus fundamento,ejus promissione,ejus conditione.

Nunc restat vna aut altera quęstio de fœdere hoc gratuito discutienda ac dissolvenda: Prima est, an ijs qui sunt sub fœdere gratuito, jam abolitum sit fœdus operum? Respondeo, duplex est fœderis operum finis, & vsus: Prior est ac proprius magis fœderis operum,vt homines per ipsum justificentur,ac serventur; secus condemnentur: Hunc vsum habuit in Adamo fœdus operum ante lapsum,vt per ipsum Adam justificaretur & viveret: Post lapsum Adami eundem obtinet in non renatis, siue electis illis, siue reprobis, nempè, vt eos vel justificet & servet, vel condemnet: cum autem servare non possit & justificare propter carnem. *Rom. 8.3*, reliquum est vt condemnet: Atque hanc condemnationem nondum credentes & renati in sese ipsi sentiunt. De vsu hoc lege *Rom. 3. 19.* vbi dicit per legem obturari omne os,& obnoxium fieri condemnationi Dei. De experientia ipsa

sa hujus condemnationis lege *Rom.7.10.* Ego inquit, mandati adventu mortuus sum; hoc est, conscientia mea condemnatus sum, sic vt in meipso sentiam præsentem condemnationem & mortem.

Etsi hic vsus prior fœderis operum communis sit quibuscunque non renatis, siue electis illis, siue reprobis; tamen id fit non sine aliquo discrimine: Nam in electis peccati agnitio, et condemnatio, quæ fit per fœdus operum, præparatio est ad fœdus gratuitum: In reprobis verò via est ad extremam desperationem.

Hæc de priori vsu: Posterior fœderis operum vsus est, in vrgendis hominibus ad progressum in fide, & sanctitate continuum faciendum. Hunc vsum habet in credentibus et renatis, qui in lege morali, & fœdere legali siue operum, tanquam in speculo quodam, continuò vident primùm sanctitatem, majestatem, & justitiam Dei. *Rom.7.12.* Itaque lex ipsa quidem sancta, et mandatum sanctum, justum, bonum. Vident deinde sanctitatem hominis & justitiam, quam vocant, originalem: nempe eam, quæ fuit in creatione ad imaginem Dei, quam definimus justitia, sanctitate, & sapientia. Vident tertiò vitam illam

æternam

poſcebat pœnam & mortem peccatoris, vel certè ejus vice mediatoris. Quòd ſi omnia bona ſanctaque mediatoris opera non ſatisfeciſſent iræ, & juſtitiæ Dei, adverſus peccata noſtra, profectò ſequitur ea non potuiſſe promereri nobis novam aliquam Dei gratiam & miſericordiam.

At, inquies, bona ſanctaque opera Chriſti mediatoris confecerunt ſaltem partem aliquam ſatisfactionis, qua ſatisfactum eſt divinæ juſtitiæ; & meriti, quo procurata eſt Dei miſericordia? Reſpondeo nullam propriè partem vel ſatisfactionis vel meriti ea confeciſſe, quum mors Chriſti, & paſſio ipſius propriè ſola, & juſtitiæ Dei ſatisfecerit, & miſericordiam ipſius promerita ſit.

At, inquies, an non licet partiri ſatisfactionem & meritum Chriſti inter ea quæ fecit, & ea quæ paſſus eſt, ſic vt dicamus Chriſtum paſſione ſua ac morte ſatisfeciſſe Dei juſtitiæ, operibus verò ſanctis boniſque promeritum eſſe miſericordiam Dei, vt ſatisfactio tribuatur morti, meritum verò operibus, vt juſtitia noſtra qua nos juſtificamur coram Deo, partim ſit ſatisfactio, quæ mortis fuit, partim meritum, quod operum Chriſti fuit? Reſpondeo ſolius paſſionis Chriſti & ſatisfactionem

et

et meritum fuisse, si propriè loquamur, & justitiam nostram esse, vel mortem Christi satisfactoriam & meritoriam, vel satisfactionem quę per mortem fuit, vel meritum ejusdem mortis, vel obedientiam Christi, qua obediens factus est patri ad mortem, mortem autem crucis, vel deniq; justitiam illam Christi, quā sibi tum acquisivit cum passione sua satisfecit iræ Dei. Imputari enim nobis dicitur ad Iustitiam vel ipsa mors Christi, vel satisfactio, vel meritum, vel obedientia, vel denique Iustitia: Hęc enim omnia per eodem accipiuntur.

At dices, quòd si Christi actiones, neque satisfactionem, neq; meritum, neque partem aliquam vel satisfactionis vel meriti, propriè constituerint, tum quis eorum vsus fuit, aut est? Respondeo sanctitatem personę Christi & naturarum, divinæ, inquam, & humanę, simulque operum ipsius, fundamentum fuisse satisfactionis & meriti, quę in passione ipsius fuerunt, hoc est, dignitatem illam & virtutem, que fuit personę ipsius & operum, effeciisse vt passio esset satisfactoria simul & meritoria: nisi enim tam sancta, tam digna persona, tam sanctè vièq; vivens exstitisset persona ea quæ passa est, profectò ipsius personę passio, nec satisfactoria, nec meritoria fuisset. Vnde Apostolus

postolus *Heb.7.26.* dum de fundamento passionis satisfactoriæ & meritoriæ, deque dispositione futuri sacrificij loquitur: Talis, inquit, nos decebat pontifex, pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cœlis factus. Atque hæc hactenus de Christo, quod fuerit sub fœdere operum.

Quod autem non fuerit sub fœdere gratiæ, res est manifestior quàm vt disputatione egeat; nam & fœdus gratiæ est percussum in eo, atque in ipsius sanguine sancitum, & promissio in fœdere gratiæ facta est ijs qui injusti erant ac mortui, vtpote violatoribus primi illius fœderis: Denique, conditio in fœdere gratiæ, fides est in Christum mediatorem. Quare si gratuiti fœderis vel fundamentum, vel promissionem, vel denique conditionem respicias, Christus non poterit dici sub fœdere gratuito fuisse. Hactenus de vtroq; fœdere, deque ijs qui sunt sub fœdere Dei, vel operum vel gratiæ.

Comparatio nostræ & adversariorum sententiæ de fœdere hoc vtroque.

CAP. 5

NVnc comparatio quædam facienda est nostri & adversariorum, videndumque vtri

vtri noſtrûm rectiùs ſentiamus de fœdere dei, & fœdere operum, & fœdere gratię. Regula, ad quam exigenda eſt ſententia & noſtra & adverſariorum, alia melior inveniri non poteſt, quàm doctrina Pauli, quę habetur præſertim in Epiſtola illa ad Romanos, & in illa nominatim diſputatione quam habet de Iuſtificatione primis illis capitibus, adverſus Iudęos illius temporis. Quod ſi comparatione facta viderimus noſtram doctrinã conſentire cum Pauli mente & doctrina, adverſariorum verò ſententiam eandem eſſe cum Iudęorum illorum qui tum vixerunt, mente & ſentẽtia, profectò manifeſtum erit, nos rectiùs ſentire de fœdere Dei, quàm adverſarios.

In hac itaque diſputatione Pauli conſiderabimus primùm mentem & inſtitutum Pauli, tum ex doctrina Pauli colligemus quę fuerit ſententia Iudęorum illorum quibuſcum Paulo res erat, poſteà applicabimus vtramq; ſententiam, & Pauli, & Iudęorum, ad nos qui hodierno die vivimus, & ad noſtras ſententias, quas nunc defendimus de fœdere Dei vtroque. Applicatione hac jam facta, ſi viderimus noſtram ſententiam conſentientem eſſe Pauli ſententiæ, adverſariorum verò conſentientem eſſe Iudæorum menti, profectò illud

ſequetur,

ſequetur, vel ipſis adverſarijs confitentibus, nos rectiùs ſentire de fœdere Dei, quam aduerſarios.

Vt igitur rem ipſam aggrediamur, Paulus ad Romanos pugnat adverſus eos Iudęorum qui obſtinati erant & contumaces, pugnat, inquam, primùm pro Chriſto ipſiuſque merito, quod eſt primum fundamentum fœderis gratuiti: Deinde pro gratia ſiue miſericordia Dei, quod eſt ſecundum fundamentum fœderis gratuiti: Tertiò pro fœdere ipſo gratuito fundato in Chriſto & Dei gratia: Quartò pro juſtificatione hominis, ex eaque ſalute, quæ eſt ſecundum fœdus gratuitum: pugnat, inquam, pro his adverſus naturam primùm, quod eſt fundamentum fœderis operum; deinde adverſus fœdus ipſum operum in natura fundatum: Tertiò adverſus juſtificationẽ hominis, ex eaque ſalutem, quæ eſt per naturę opera bona ac juſta, ſecundum illud fœdus operum. Expreſſè quidem, fateor, oppugnat juſtificationem ipſam & conſervationem quę eſt per opera naturæ, quæ requirit fœdus operum, pugnatque pro juſtificatione fidei, quam requirit fœdus gratuitum; ſed vna eademque opera oppugnat naturam & fœdus ipſum operum, pugnatque pro Chriſto, pro

gratia

gratia Dei in eo, pro fœdere ipso gratuito: Nam doctrinam antecedentium in consequentis doctrina includi necesse est.

Ex hoc Pauli instituto potest colligi quodnam fuerit Iudæorum adversariorum consilium, & quæ eorum sententia quibuscum Paulo res erat in Epistola ad Romanos: Iudæi illi contrà pugnarûnt pro natura, vtpote fundamento fœderis operum; pro fœdere ipso operum siue naturæ; pro justificatione & salute quæ sunt per opera, & secundum formulam fœderis operum; pugnarûnt, inquam, pro his adversus Christum, adversus gratiam Dei in Christo; adversus gratuitum fœdus; denique adversus justificationem & salutem hominum, quæ est ex formula fœderis gratuiti. Fateor, vt dixi, quæstio fuit de hoc postremo, hoc est, de justificatione, sed quæstio de postremo hoc, includit in se superiora illa, vt suprà admonuimus. Itaq; nos veterem illam controversiam repetimus à fundamento suo.

In hac controversia obiter observandum est, quanta fuerit primis illis temporibus Iudæorum illorum cæcitas: Primùm non viderunt naturam humanam post lapsum perditam esse, nempè, quò ad bonitatem; non viderunt naturam suam, neque vllo sensu peccati

et

et miseriæ suæ sunt affecti: deinde non viderunt Christum mediatorem et misericordiam Dei in ipso: Tertiò quum hæc non viderent, non viderunt pariter abolitum in Christo fœdus illud naturæ siue operum. Quartò non viderunt cum homine percussum fœdus illud gratiæ in Christo Iesu: Quintò opera illa naturæ per quæ justificari volebant ex præscripto fœderis operum non viderunt duntaxat officia esse, & testimonia gratitudinis, secundum illius fœderis primam institutionem, sed meritoriam, nescio quam, vim ijs præterea attribuerunt: vnde Paulus adversus opera naturæ tanquam merita disputat ex hypothesi Iudæorum. Quod autem pro meritis ea habuerint, apparet ex ea eorum gloriatione in operibus, quam Paulus cohibet, & cujus non vno in loco meminit. Vbi igitur gloriatio? Excluſa est. *Rom. 3.27.* Si *Abraham* ex operibus justificatus fuit habet quòd glorietur *Rom. 4.2.* Non ex operibus ne quis glorietur, *Ephes. 2.9.* Nam qui gloriatur is putat se non accepisse id à Deo, in quo gloriatur, ac proinde meritorium esse putat: Quid habes quod non acceperis: quod si etiam accepisti, quid gloriaris vt qui non acceperis? *1. Cor. 4.7* Hactenus de controversia quæ fuit olim inter

Paulum & Iudæos illos veteres de fœdere Dei. Quàm similis est huic controversiæ ea quæ est hodierno die inter nos & Pōtificios: Nos pugnamus hodierno die pro solo Christi merito, pro sola meraque Dei gratia & misericordia, pro fœdere gratuito, pro justificatione & salute, quæ est per solum Christum, per solam gratiam, per solā fidem, (hæc enim idem sunt) pugnamus, inquā, pro his, adversus naturæ vires, siue libertatem arbitrij, hoc est, naturæ bonitatem & sanctitatem, adversus fœdus operum, adversus justificationem, quæ est per opera & ex præscripto fœderis operum. Pontificij hodierno die pugnant pro natura quidem in se sancta, læsa tamen, attenuata, & debilitata (hoc enim est eorum liberum arbitrium) pro fœdere operum naturalium, proficiscentium ex libertate arbitrij, pro justificatione etiā ex operibus liberi arbitrij, juxta fœdus operum, etiam meritorijs: Nam meriti siue sit de congruo, siue de condigno, vt ipsi loquuntur, fundamentum statuunt liberum arbitrium; pro his, inquam, pugnant, adversus solum Christum, ipsiusq; meritum, adversus meram Dei gratiam, & in Christo misericordiam, adversus solum fœdus gratuitum, adversus justificationem, quæ est per solum

lum Christum, per solam gratiam Dei, per solam fidem: hæc enim re idem sunt.

Vide igitur hîc obiter Papistarum hodierno die quæ sit admirabilis illa in tanta luce cæcitas: Primùm non vident naturam hominis planè perditam, quod ad sanctitatem attinet: Secundò non vident meram solamque Dei in Christo gratiam & misericordiam, vt neque magnitudinem meriti Iesu Christi. Tertiò non vident jis qui in Christo sunt planè abolitum fœdus illud operum quoad justificationem: Quartò non vident solum illud fœdus gratiæ cum hominibus post lapsum percussum esse, præsertim post Christi adventum, in Evangelio suo, idque ad justificationem & vitam æternam: Quintò non vident opera, quę ipsi vocant libertatis arbitrij, si quæ essent hujusmodi, officia duntaxat esse & testimonia gratitudinis, secundum primam illam institutionem fœderis operum, quę fiunt ex naturæ viribus; sed & vim quandam meritoriam jis asscribunt. Ergo colligimus eos, etsi non idem planè sentiant quod Iudæi illi veteres, quibuscum Paulo res erat in Epistola ad Romanos, tamen ex parte aliqua stare ab ijs, pugnareque pro natura ex parte bona & sancta, adversus meram gratiam, & partiri quasi

justificationē & salutem humanā inter Christum gratiāq; Dei, & naturę vires naturęque opera, quum tamen nullo modo possint consistere in opere salutis humanę natura & gratia: & quisquis naturam vel naturę partem aliquam associat gratię is planè destruat gratiam necesse sit, quæ vel sola est vel nulla. *Rom. 11* Quod si per gratiam, jam non ex operibus, alioqui gratia non erit gratia: & in Epistola ad Galatas ex professo disputat adversus eos Iudęorum qui legē siue naturę vires & opera, in negotio justificationis & salutis humanę conjunxerunt cum Christo, gratia Dei, & Evangelio: quibus Iudæis simillimi vidētur mihi Papistæ: De jis Iudæorum loquor adversus quos disputat Paulus ad Gal. Nam ad Rom. disputat adversus Iudæos qui Christum planè oppugnarunt, atque eum apertè rejecerunt: ad Gal. verò disputat adversus Iudæos, qui Christo solo non contenti, cum eo legem conjunxerunt. Hactenus fuit comparatio Pauli & nostri, Iudæorum veterum & Papistarum.

Nunc quia de operibus Regenerationis quæri potest quid senserit Paulus, quid nos sentiamus, quid denique Adversarij sentiant, ideò hanc quæstionem paucis expediam. An igitur,

igitur, dicat quis, Paulus oppugnavit in illa sua disputatione quæ est ad Romanos, item ad Gal. opera quoque gratiæ & regenerationis? Respondeo, oppugnabat præcipuè Paulus in sua disputatione opera naturæ, quæ Iudæi putarûnt bona & justa, etiamque meritoria: opera autem regenerationis non rejecit, vt sunt debita, officia, & testimonia gratitudinis in Deum, quin potiùs eatenus, ea commendavit, *Rom. 6. 7. 8.* cap. & alijs in locis. Verùm in negotio justificationis, & ea quoque quæ vocamus regenerationis opera noluit Paulus cum Christo, cum Dei gratia, cum fide, tanquam causam aliquam, vel partem causæ meritoriæ conjungi. Vide *Rom. 4.* neque *Abrahamum* ipsum jam regenitum ex operibus suis regenerationis justificatum fuisse dicit coram Deo: & *Rom. 6.* postquam commẽdavit sanctificationis opera, tandem versu. 23. vbi mortem tribuit peccati merito, non tamen vitam æternam tribuit operum sanctificationis merito, sed postquam dixit stipendia peccati mortem esse, disertè pronunciavit donum Dei esse vitam æternam in Christo Iesu: Quo loco si putasset vllam meriti partem in operibus regenerationis fuisse, non tacuisset profectò de ea laude operum rege-

nerationis, præsertim quum eorum commendationē ex professo instituisset. Ergo Apost. ad Rom. quū rejiciat opera præsertim naturę, quę requirit fœdus illud operum, tamen omnia simul ac semel operum genera rejicienda censet, siue moralia & naturalia, quæ antecedunt gratiam & fidem, siue ceremonialia, siue denique regenerationis opera, quę sequuntur gratiam & fidem, vt vni Christo, meræ gratiæ, soli fidei locus sit. Hactenus de sententia Pauli.

Nos hodierno die idem planè cum Paulo sentimus de operibus regenerationis. Aduersarij nostri, vt ea admittunt, ita ijs plus nimio tribuunt; neque enim volunt esse officia & testimonia gratitudinis nostræ in Deum duntaxat, sed etiam meritoria esse dicunt ejus justificationis, quam secundam ipsi appellant. Porrò sciendum opera regenerationis aduersarijs non tantùm proficisci à gratia, quam ipsi infusam vocant, & primā justitiam, sed etiam à natura & libertate arbitrij, quæ simul cum justitia operatur, & cujus etiam respectu, vt suprà monuimus, meritoria volunt esse opera bona, quæ partiuntur inter primam illā gratiam & libertatem arbitrij. Atq; hæc hactenus de hac comparatione, ex qua videmus

vtri

vtri, nosne an Adversarij rectiùs sentiamus de fœdere Dei vtroque, de vtriusq; fundamentis, natura, gratia, Christo; denique de vtriusq; effecto, quod vocamus justificationem hominis. Et cum hęc religionis veræ fundamētum constituant, videmus vtri, nosne an adversarij, religionē & cultum Dei meliùs solidiùsq; fundatum habeamus.

De verbo siue fœdere Dei scripto.

CAP. 6.

VErbum vtriusque fœderis longo tempore inde ab *Adamo* vsque ad *Mosen* in mundo non scriptum exstitit, sed traditum fuit quasi per manus, & viva voce propagatum; nihil enim nunc disputamus de illis quę *Iosephus* ante diluvium columnis inciſa fuisse refert, neque de Apocryphis scriptis *Henoch*.

Cum verò per traditiones, exorientibus subinde corruptelis, puritas doctrinæ fœderis non conservaretur, & Deus nō vellet ampliùs illa tantùm ratione vti, tum aliā rationē tempore *Mosis* ipse instituit, & ostendit: vt scilicet scriptis, divina authoritate & testimonio approbatis & confirmatis, puritas doctrinæ cæleſtis conservaretur & propagaretur; quoque magis scriptum commēdaret hominibus om-

nium ætatum, ipse Deus verba decalogi, hoc est, fœdus legale, suis digitis primus exaravit in tabulis lapideis: *Mosi* deinde mandatum dedit vt reliqua ex ore ipsius Dei excepta cõscriberet; et vt populus Dei certus esset scripturam illam *Mosis* non humana voluntate allatam, sed divinitùs inspiratam esse, Deus valdè multis stupendis miraculis scripto *Mosis* authoritatẽ conciliavit, & ante scriptionem, & post scriptionẽ, & in ipsa scriptione. Scripsit quidem *Moses* vtriusque fœderis verbum, & legalis, & Evangelici; verùm cum fœderis Evangelici lineamenta quasi quędam prima duxerit, fœdus legale ad vivum depinxit. In scriptis enim *Mosis* apertè vrgetur fœdus legale, obscurè verò fœdus Evangelicum. Vnde tota doctrina *Mosis* legalis vocata est. Lex per *Mosen* data est, *Ioh. 1.*

Post *Mosen* Deus subinde excitavit Prophetas, quorum doctrinæ & testimonio ipse ingentibus miraculis fidem et authoritatem conciliavit: Illi verò licet miraculis essent cõfirmati, non tamen habebant potestatem vt de doctrina Patriarcharum & *Mosis* alia, vel diversa, vel contraria affererent, quàm quæ in libris *Mosis* consignata erant, sed ex divina revelatione addebant interpretationes illustrio-

res,

res, prout ille lucifer novi Testamenti magis magisque appropinquabat: Totius verò doctrinæ suæ summam & capita, quantum Deus posteritati necessarium judicabat, ipsi conscribebant: quæ conscripta ad sacros libros *Mosis*, hoc est, in latere arcæ reponebantur. *Ios. 24.*

Denique post manifestationem Christi in carne, doctrina Evangelica siue novi fœderis primùm aliquot annis à Christo ipso, posteà ab Apostolis sine scripto viva voce tradita & propagata est. Postremò verò ab Apostolis scriptis est comprehensa. Vrgentur quidem in scriptis quoque novi Testamenti opera legis Dei & naturæ, adeòque lex ipsa à Christo et Apostolis est explicata, & quasi purgata à fermento Pharisæorum: sed vrgentur opera legis & naturæ non eo fine vt homines per ea justificentur & serventur, verùm vrgentur, vel vt præparẽtur homines ad gratiam inchoandam, vel vt stimulentur ad progressum in gratia faciendum, sicuti jam anteà à nobis dictum est. Vrgentur etiam opera regenerationis, sed non quibus justificemur, verùm quibus testemur justificationem illam nostram quæ est per fidem, et erga Deum gratitudinem. Vnde Paulus postquã jam tradidit doctrinam

ctrinam fidei ad opera legis solet descendere, requirereque vitam & conversationem dignam vocatione illa, qua vocati sumus in Christo Iesu: vide *Ephes. 4. 1. Thess. 2. 12.* Quod autem vrgetur præcipuè in scriptis novi Testamenti, fides est in Christum. Atq; hæc in genere de verbo fœderis scripto.

De numero controversiarum quæ sunt de verbo scripto: deque prima controversia. An Scriptura sit Dei verbum.

CAP. 7.

DE Scriptura sacra omninò duo sunt controversiarum genera. Primum est earum controversiarum quę magis sunt, vt sic dicam, essentiales, hoc est, de essentia ipsius Scripturæ. Secundum est earum quæ accidentales sunt magis, & non tam propè attingunt ipsius Scripturæ essentiam. In primo genere controversiæ sunt numero decem. Prima omnium est, An sit Scriptura Prophetica et Apostolica verbum Dei. 2. Qui constet eam esse verbum Dei. 3. est de ipsius antiquitate. 4. De ipsius perspicuitate. 5. De ipsius simplicitate. 6. De ipsius vita vel vivacitate. 7. De ipsius simplici necessitate. 8. De ipsius perfectione & sufficientia, quòd ea sufficiens sit

et

et perfecta per se, sine traditionibus non scriptis. 9. An penes Scripturam sit omnium controversiarum judicium. 10. An summa sit Scripturæ Propheticæ & Apostolicę prestantia, ac major ejus authoritas quàm sit Ecclesię.

Quod ad octo illas controversias quæ sequuntur primas duas, sunt eę quidem de proprietatibus Scripturę sacrę, quæ postquàm jam ostensum & demonstratum est, quòd Scriptura sit verbum Dei, sua sponte omnes sequuntur, & ex demonstrato illo quasi Theoremate, necessariò inferuntur.

Hoc enim accepto, quod Scriptura sit verbum Dei, sequitur primùm eam esse antiquissimam. 2. Clarissimam. 3. Simplicissimam. 4. Maximè vivam. 5. Maximè necessariam. 6. Perfectissimam. 7. Iudicem omnium controversiarum omni exceptione majorem. 8. Præstantissimam. Sed quum adversarij has ipsas proprietates, quæ octo sunt numero, negent & oppugnent, de ijs singulis sunt singulæ controversiæ, vt diximus.

Has itaque controversias ordine prosequemur, ac primùm omnium tractabimus eam quæ natura prima est: An Scriptura sit verbum Dei. In genere fatentur adversarij Scripturam sacram esse verbum Dei, sed cum ventum

tum est ad speciem, dissentiunt à nobis. Rem sic apertiùs expono: Duplex hodierno die verbum Dei in Ecclesia est. 1. immediatum. 2. mediatum. Immediatum dico, quod procedit ex ipsiusmet Dei ore: mediatum verò quod Deus pronunciat per præconem siue ministrum aliquem suum. Nos itaque affirmamus Scripturam sacram esse immediatum & primarium illud Dei verbum, saltem nobis esse vice primæ, immediatę, ac vivę ipsius Dei vocis: Imò verò nobis esse vice non modò vivæ Dei vocis, sed internæ & inscrutabilis Dei mentis, ac notionum quæ sunt in mente divina. Rationes sunt. 1. quia hæc est voluntas Dei. Habent, inquit, Mosen & Prophetas, hoc est, scripta *Mosis* & prophetarũ. *Luc. 16. 29*. 2. Quod si nihil haberemus vice vivæ vocis Dei, profectò deteriori loco essemus quã fuit vetus illa & Iudaica Ecclesia, quæ habebat oracula Dei: Atqui hoc est dictu absurdum. 3. Ratio est. Fides nostra necesse est pro primo suo fundamẽtò habeat, vel ipsammet Dei vocem vivam, & ipsammet Dei mentem, vel certè aliquid vice vivæ vocis ipsius Dei, et ipsius mentis Dei, quod nobis non minùs certum sit ac firmum, quàm si ipsum Deum loquentem audiremus, & ipsam mentem Dei

ac

ac sententias in mente divina inscriptas inspiceremus ac legeremus. Atqui nunc non audimus ipsammet Dei vivã vocem, neq; mentem ipsam Dei intuemur. Ergo necesse est habeamus aliquid quod nobis vivæ vocis & mentis Dei vice sit. Vivæ autem Dei vocis & mentis vice nihil habere possumus, præter sacram hanc Scripturam. Ergo nobis sola Scriptura sacra est vice, tum vivæ vocis, tum mentis Dei. 4. Ratio: Continet Scriptura ea omnia quæ Deus ipse loquutus est jam olim, & quæ Deus mente cogitat de salute ac vita nostra: Ergo &c. Hactenus de immediato Dei verbo. Mediatum Dei verbum dicimus esse Ecclesiæ sanctæ & purę vocem, quia etsi homines sunt qui loquuntur, tamen verbum quod loquuntur est ipsiusmet Dei.

Hic insurgunt adversarij, contenduntq; vocem Ecclesiæ principalem esse vocem, magisque supplere vivæ vocis Dei & mentis Dei vicem quam Scripturam; quia, inquiunt, vox Ecclesiæ est scriptura in corde Ecclesiæ exarata ipsius Dei digito, non autem amanuensis alicujus opera: Quare vocem Ecclesiæ oportet esse principalem Dei vocem; nam est vox viva, profecta à vivo corde Ecclesiæ, in quo Deus ipse digito Spiritus sui inscripsit & exaravit

ravit omnem veritatem; quum Scriptura hęc Prophetarum & Apostolorum dictata quidē sit à Deo, ac exarata sit, non digitis ipsius Dei, verùm Prophetarum & Apostolorum, 1. amanuensium digitis, non in vivis hominum cordibus, sed in chartis & tabulis; Vnde sequitur Scripturam quę est in corde Ecclesię esse principalem illam scripturam Dei, & Ecclesię sanctę vocem esse principalem illam vocem Dei, & debere esse nobis vivę & immediatę Dei vocis & abditę etiam Dei mentis loco?

Respondeo ad rationem eorum: Vox Ecclesię viva quidem est, fateor; & proficiscitur à vivo & sanctificato corde per Spiritum sanctum; (de vera enim Ecclesia loquor) sed primùm dico Scripturam hanc propheticam & Apostolicam solam habendam pro Scriptura ipsius Dei digito exarata, & pro verbo ipsius Dei immediato. Deinde dico cor Ecclesię sanctificatum esse et informatū per Spiritum Scripturę, et scripturam quę est in corde Ecclesię nihil aliud esse quàm (vt sic dicā) transsumptum et transscriptum quoddam, quod Spiritus sanctus ad archetypum et authenticum illud exemplar, nempè Scripturam sacram, inscripsit cordibus nostris. Spiritus enim

nim ſanctus nihil docet nunc Eccleſiam, præter id quod ſcriptũ eſt, & per Scripturã quodammodò Eccleſiam gignit; & Scriptura mater eſt, Eccleſia filia; Scriptura magiſtra, Eccleſia diſcipula. Tertiò dico informationem illam veritatis, quæ fit in corde Eccleſiæ per Scripturam ſacram, non tam plenam perfectamque eſſe quàm eſt ipſa Scriptura. Poſtremò dico Eccleſiam, cum imperfectè illuminata & renata ſit, poſſe etiam in rebus graviſſimis à veritate aberrare, & aberrare quidem reipſa, quoties diſcedit à Canone illo & regula Scripturæ ſacræ.

Ratione eorum ſic confutata, ſequitur Eccleſiæ vocem (de vera loquor, non de adultera illa Romana) non eſſe primarium & princeps Dei verbum, neq; nobis eſſe vivæ & immediatę Dei vocis, neq; etiam mentis divinę loco, verùm hanc prærogativam eſſe ſolius Scripturæ ſacræ. Addo prætereà, quòd ſi primùm non tam reſpicias veritatem ipſam, quã loquitur Eccleſia, quàm inſtrumenta loquutionis, quæ ſunt homines; deinde ſi comparetur vox Eccleſiæ loquentis, cum ipſa Scriptura ſacra, ne verbi quidem Dei ipſam mereri nomen; ſed vocari magis propriè verbum & teſtimonium humanum. Ipſe enim Chriſtus

Iohannis

Iohannis Baptiſtæ de ſe teſtimonium, hominis teſtimonium vocavit. Ego, inquit, ab homine teſtimonium non capto: *Ioh. 5. 34.* Eſto verum & Scripturæ ſacræ conſentiens teſtimonium Eccleſiæ, nihilominùs vocatur teſtimonium hominum, ſiue homines ipſos loquentes reſpicias, ſive eorum teſtimonium compares cum teſtimonio procedente ex ipſius Dei & Chriſti ore.

At, inquies, Prophetę & Apoſtoli qui ipſi homines fuerunt, hæc omnia quæ in Scripturis habemus & loquuti ſunt & ſcripſerunt. Ergo hæc omnia quæ ſcripta ſunt pro teſtimonio hominum habenda ſunt? Reſpondeo me nō planè negare id quod objicis, ſi vel dictum vel ſcriptum Prophetæ aut Apoſtoli alicujus ęſtimetur ex inſtrumentis & miniſtris, vel ſi etiam cum ipſa Dei vel Chriſti viva voce comparetur. Nam habita ratione ipſorum inſtrumentorum, & facta comparatione dicti vel ſcripti eorum cum dicto vel ſcripto ipſius Dei, jam illud dictum vel ſcriptum inferiori loco eſt, & vocatur teſtimonium hominis: & ipſius Iohannis Baptiſtæ teſtimonium, ratione inſtrumenti, & comparatione cum Chriſto ipſo habita, vocatum eſt teſtimonium hominis. Sed dum nos Scripturam propheticam

cam & Apostolicam dicimus vocem esse & testimonium ipsius Dei immediatum, extra comparationē ipsiusmet vivæ vocis Dei loquimur, neque consideramus à quibus demùm instrumentis exarata sit Scriptura; verùm ponderamus rem ipsam & sentētias quæ scriptæ sunt, & consideramus quo loco velit ipse Deus Scripturam sacram à nobis haberi, nempè loco & vice non quidem Scripturæ vel sermonis hominū, sed loco & vice Scripturæ & sermonis ipsiusmet Dei; consideramus denique eam in comparatione cum Ecclesia facta. Nam comparatione cum Ecclesia facta, vox Scripturæ est vox ipsiusmet Dei; Rursus facta hac comparatione vox Ecclesiæ Christi vocatur testimoniū hominum, quemadmodum sermo vel Scriptura Prophetæ & Apostoli comparatione vivæ vocis ipsiusmet Dei appellatur testimonium hominis, teste Christo. *Ioh. 5.* Atque hæc hactenus de prima controversia dicta sunto.

Qui constet Scripturam esse verbum Dei.

CAP. 8.

ALtera controversia est de Argumento, quo scitur Scripturam esse verbum Dei; vt igitur prima quæstio fuit an sit Scriptura

verbum Dei, ita hæc quæstio est cur sit, quo argumento constet Scripturam esse verbum Dei. Ad hanc quęstionem sic respondemus, non opus quidem esse simpliciter & per se aliqua alia luce, quàm quæ sit in ipsa Scriptura ad hoc docēdum. Est enim Scriptura, (quum sit verbum Dei primum & immediatum) αὐτοπίστος, natura sua notissima, & clarissima, & causa lucis illius quæcunque est in Ecclesia & cordibus hominum. Vt enim Solis lux alia quavis luce non est demonstranda, quum ipsa omnem aliam lucem corpoream infinitis partibus exsuperet; ita lux illa Scripturæ spiritualis non eget, sua natura & per se, quavis alia luce qua ipsa demonstretur, quum ipsa sit lux omnium limpidissima, & clarissima: Verùm quòd requirantur alia argumēta, et quasi lumina, quibus ostendatur Scripturam esse verbum Dei, hoc est, lucem ipsam, in causa sumus nos, qui natura cæci sumus ac lippi. Quare argumenta et adjumenta quæ afferri possunt alia ad hoc docendum, nihil quidem lucis afferunt luci Scripturæ, quæ per se ac sua natura notissima est, cuique nihil addi potest ad hoc vt magis luceat, sed tantùm eò pertinent omnia, vt quæ per se notissima est, nobis quoque nota sit, & aperiantur oculi nostri ad viden-

videndum longè pleniſſimam & clariſſimam illam Scripturæ lucem; hoc eſt, ad videndum ipſum Deum in Scriptura ſacra lucentem & loquentem. Vt qui cæcum doceret lucere ſolem, jam afferret in medium, non ea quidem quibus magis illuſtraret ſolis lucē, ſed ea quibus, ſi poſſet fieri, queat aperire cæco oculos, ad hoc vt poſſet videre ſolis lucem in ſe ſplendidiſſimam. Ergo, vt dicamus verbo, argumēta ea omnia quæcunque quęruntur à nobis ad hoc vt oſtendatur Scripturæ lux, quæri debent, non cauſa ipſius Scripturæ, quę per ſe notiſſima eſt; ſed noſtra cauſa qui cęci ſumus, quibuſque opus eſt argumentis quibuſcunq; & adjumentis, per quæ quoquo modo fieri poteſt, vt oculi noſtri aperiantur, & acies oculorum in videndo acutior reddatur.

Argumenta & adjumenta quibus aperiri poſſunt oculi noſtri ad videndum Scripturæ lucem, vel Deum in ipſa Scriptura loquentem & lucētem, non ſunt vnius generis, ſed varia afferri ſolent à viris doctis & pijs; Sed niſi idē ille Spiritus ſanctus, qui in Scriptura loquitur, primùm omnium inſinuet ſe in animos noſtros, et aperiat oculos mentis noſtrę, qui ſolus eos aperire poteſt, profectò fruſtrà quis loquatur de alijs quibuſvis argumē-

tis & adjumẽtis, hoc eſt, niſi ſimus θεοδίδακτοι, docti à Deo et Spiritu ipſius ſancto, nihil profutura ſunt alia. Quamobrem prima omnium ac principalis cauſa quæ efficit vt Scriptura in ſe nota, nobis quoq; innotelcat, erit Spiritus ſanctus intus nos docens, aperiendo oculos mentis noſtræ, ad hoc vt videamus lucem illam Scripturæ, et agnoſcamus in Scriptura Dei ipſius & Chriſti vocem. Spiritus autem ſic nos docendo nihil quidem lucis addit Scripturæ, quę per ſe abũdè lucẽt; ſed illuminat mentes noſtras ad hoc vt lucem illã Scripturæ ſacræ abundantem intueamur. Spiritus autẽ ſanctus, dum illuminat mentes noſtras, id quidem facit per media quædam et quaſi organa, quorum miniſterio operatur in mentibus & cordibus noſtris.

Mediorum ſiue inſtrumentorum Spiritus ſancti duo ſunt genera. Primum eſt internum, ſecundum eſt externum. Internum voco medium quod eſt in ipſa Scriptura: externum quod eſt extra Scripturam. Internum medium eſt principale medium Spiritus ſancti, eſtque illa ipſa lux quę in Scriptura lucet. Ergo Spiritus ſanctus primùm omnium per Scripturæ lucem aperit mentes noſtras, ad videndum illam ipſam Scripturę lucem, in ſe quidem

dem clarissimam, nobis verò ignotam. Aperit autem mentes ad videndum Scripturę lucem per Scripturam ipsam et ipsius lucem, non vno modo sed varijs. Partim enim quędam loca ex ipsa Scriptura affert quę clarè loquuntur de luce ipsius Scripturæ, & de Deo in ipsa Scriptura loquente, vt est ille, Omnis Scriptura est θεοπνευστος. 2. *Timoth.3.16.* Partim monet vt intueamur res illas spirituales quæ ibi sunt descriptę; partim monet vt respiciamus voces spirituales, quibus res illæ spirituales sunt expressæ, & pronunciatæ; partim jubet intueri veritatem oraculorum & vaticiniorum eventu comprobatam; demonstrat etiam nobis harmoniam illam pulcherrimam veteris & novi Testamenti, qua fit vt de se invicem testentur; non prætermittit illa miracula quæ etiam scripta sunt, quibusque suo tempore confirmata est cælestis illa doctrina; profert etiam Martyres qui sanguine suo veritatem illam obsignarûnt, de quibus in eadē illa Scriptura legimus. His & alijs modis nos docet Spiritus ex ipsa Scriptura sacra Scripturam esse verbum Dei, demonstratq; in Scriptura illam lucem omni exceptione majorem. In his denique numeranda est dignitas & sanctitas eorum virorum, quorum opera vsus est

Deus in scribendo verbo suo, quæ ipsa conspicitur in Scriptura. Atq; hoc est internũ illud & principale medium & organõ Spiritus sancti, per quod nos docet & fidem ingignit in cordibus nostris, qua certò credimus Scripturam hanc esse Dei verbum.

Sunt & alia media extra Scripturam, quibus id ipsum docet Spiritus, vt est constantia Martyrum, qui suo sanguine quotidiè veritatem illã cælestem obsignant; vt est persequutio hostium Ecclesiæ; vt est Scripturarum oppugnatio ab ipso Satana; vt est conservatio Scripturarum in Ecclesia ad nostra vsq; tempora; vt est denique testimonium verę Ecclesię. Hęc omnia sunt extra ipsam Scripturam, & efficiunt secundarium quoddam argumenti genus, per quod etiam suo modo efficax esse solet Spiritus Dei Sanctus ad aperiendum oculos mentis nostræ, nosque illuminandos, ad hoc vt videre & audire possimus Deum ipsum in Scriptura loquentem ac lucentem.

Notandum tamen Spiritum sanctum fidem in cordibus nostris, per secundum hoc genus mediorum externorũ propriè ac præcipuè non ingignere, (quum proprium ac præcipuum instrumentum fidei sit verbum ipsius Dei; vel enim necesse est sit ipsa vox viua

ra Dei, vel certè sit Scriptura sacra, quæ sola nobis est pro viva & primaria voce Dei agnoscenda) verùm corda nostra duntaxat vel præparare ad fidem per verbum ipsius Dei posteà ingignendam cordibus, vel certè fidem jam ingenitā per verbum Dei aliquo modo confirmare. Quare hoc secundum genus mediorum nonnunquam solet præcedere ipsam Scripturam & Dei vocem, & per id Spiritus sanctus solet nonnunquam præparare aliquorum animos, priusquā per ipsam Scripturam fidem ingignat. Id quod Augustino factum legimus, ipso dicente ac sic loquente. (Non crederem Evangelio nisi me commoveret Ecclesiæ Catholicæ authoritas) Quibus verbis significat se, quum Manichæus esset, præparatum per authoritatem & testimonium Ecclesiæ, ad credendum Evangelio; posteà tamen idem Spiritus sanctus qui præparavit Augustinum per testimonium Ecclesiæ; idē, inquā, Spiritus in corde Augustini per Scripturam ipsam Evangelij fidem eam ingenuit, qua credidit Evangelium esse ipsius Dei verbum: Idque de se ipse alibi fassus est. Et eos, inquit, sequamur qui nos invitant priùs credere quod nondum valemus intueri, vt ipsa fide valentiores facti, quod credimus intelli-

gere mereamur, non jam hominibus, sed ipso Deo intrinsecus mentem nostram firmāte atque illuminante. Sic Samaritana mulier *Ioh. 4.* tanquam membrum & testis Ecclesiæ, præconio quodam suo præparavit Samaritanos reliquos ad fidem Christi, qui ipsi postquam jam ipsum Christum audiverunt, dixerunt mulieri, Non ampliùs propter sermones tuos credimus, ipsi enim audivimus & scimus hunc esse verum servatorem Christum. Qua voce planè significarūnt se testimonio mulieris duntaxat præparatos ad fidem, fidem autem cordibus ipsorum ingenitam per vocem ipsiusmet Christi efficacem. Nonnunquam igitur, vt dixi, antecedit fidem ingignendam hoc genus medij & argumenti ad nos præparandos, nonnunquam sequitur, & fidem jam ingenitam confirmat, nonnunquam denique & antecedit hoc argumenti genus & sequitur; antecedit in præparandis, sequitur in confirmandis. Varijs enim modis docet nos Spiritus, & accommodat sese alio atque alio modo, ad alios atque alios, prout ipse vult, & infirmitas eorum postulat.

Notandum denique secundarij hujus generis argumenti, quòd externum est minusq; principale, non esse absolutam aliquā necessitatem

fitatem ad fidem faciendam. Satis enim nobis esse debet, si nos doceat. Spiritus per ipsum ac solum quidem verbum Dei, sed infirmitatis nostræ causa adhibet idem Spiritus illud alterum & secundarium genus argumenti: Idquod planè docet Christus *Iohan.5.* vbi dicit Iohannis Baptistæ de se testimonium non simpliciter necessarium fuisse, sed ita fuisse consultum eorum infirmitati & incredulitati, his verbis vers. 15. Iohannes testimonium dedit veritati, ego autem ab homine testimonium non capto: sed hæc dico vt vos servemini. Deinde quòd testimonium Iohannis secundarium duntaxat fuerit, primarium autem ipsius Christi de se testimonium paulò pòst apertè docet: At ego, inquit, testimoniũ habeo majus testimonio Iohannis: opera enim quæ dedit mihi Pater testantur de me. Atque hæc est sententia nostra de argumento quo constat Scripturam esse verbum Dei, & responsio nostra facta ad quęstionem quam diximus, cur sit.

Quid Papistæ sentiant facile est ex eorum tum dictis tum scriptis colligere: Hæc autem est, vt paucis dicam, sentẽtia Papistarum. Medium et argumentum principale, ac ferè vnicum quo constare volunt Scripturã esse verbum

bum Dei, est testimonium Ecclesiæ, non tantùm Catholicæ, vt ipsi loquuntur, sed et eorum qui per continuas successiones ab Apostolis ad nos vsque fidem propagarûnt: intelligunt Pontifices maximè, qui, vtaiunt, successerunt Petro ipsiusque Cathedræ. Hanc Ecclesię quam dicunt sententiam, omnium Scripturarum judicem & interpretem volunt esse, à cujus judicio ad alium judicem non liceat cuiquam provocare: dignitatem autem hanc & prærogativam testimonio Ecclesiæ ideò tribuunt, quòd velint Scripturam eam quæ est in corde Ecclesię primariâ esse Scripturam, & vocem Ecclesiæ nobis agnoscēdam & habendam esse vice vivæ vocis Dei ipsius. Quasi verò Deus nunc præcipuè ac primariò in Ecclesia, & per Ecclesiam loquatur. Quod si testimonium Ecclesiæ volunt primariam esse Dei vocem, & primariam Dei Scripturam, sequitur eos velle pariter summā lucem esse in Ecclesiæ voce, & eam non tantùm nobis, sed & per se notissimam esse, ac proindè præbere lucem ipsi Scripturę sanctę, non tantùm ratione nostri, sed etiam ratione sui. Vnde quidā ex ijs dixit nihilo plus valere Scripturam sinę Ecclesię authoritate, quàm fabulas Æsopi. Quum enim sit vox Ecclesię illis primaria

maria vox Dei ad omnia respondens, quum viva sit ac vocalis, proindeque non solum natura, sed etiã nobis notissima, sequitur ex eorum sententia eam ministrare lucem Scripturę, non tantùm quoad nos, sed etiam quoad ipsam Scripturam, quę secundaria quędam Scriptura est, & secundaria quędam vox. Est enim Ecclesię vox illis quasi Dei ipsius vox è cęlis reddita, vocem Scripturę, quę hominum modò est vox, & Scripturam, quę amanuensium digitis tantùm est exarata, confirmãs, ratam & authenticam faciens. Ex illis illorum principijs, hoc sequatur necesse est, licet alij aliter loquantur.

Nos quidem vt illorum sententiam quam ex ijs principijs inferunt negamus, ita principia ipsa rejicimus: Negamus enim illud eorum principium primum, nempè, vocem Ecclesię habẽdam esse pro viva voce ipsius Dei, & Scripturam, in corde Ecclesię inscriptam, habendam esse pro Scriptura ipsius Dei digito exarata: affirmamusque pro viva voce Dei habendam esse solam hanc Scripturam propheticam & Apostolicam, & vice Scripturę exaratę Dei digito solam hanc propheticam & Apostolicam: Imò addimus prętereà eam esse nobis vice sententiarum quę in mente

Dei

Dei sunt ab ęterno: Hęc enim est voluntas Dei vt ipsum quasi viva voce loquentem in hac Scriptura audiamus. Habēt, inquit, Mosen & Prophetas. *Luc.16.29.* hoc est, Mosis & Prophetarum scripta: & Scripturā hanc vult Deus non alio loco habendam atque habita fuit olim illa Scriptura quam ipse digito suo exaravit in tabulis lapideis. Vox autem Ecclesię (de vera loquor, non de Papistica illa & mendaci) est vox ministra, & quasi prędonis, quę promulgat atq; explicat hominibus vocem illam Dei loquentis in Scriptura omni exceptione majorem: & Scriptura in corde Ecclesię, hoc est, sententię veritatis quę sunt in cordibus fidelium, nihil aliud sunt quàm secundaria quędam Scriptura exscripta per Spiritum sanctum ex primaria illa & αὐτοπίστῳ Scriptura, & inscripta hominum mentibus. Quota tamen pars quæso illius tam plenæ Scripturæ Propheticæ & Apostolicę exscripta est, & inscripta mentibus nostris? Imò ne in omnium quidem hominum fidelium cordibus, etiamsi sumas omnes confertim, tamen ne in omnium quidem cordibus inscripta sunt omnia illa plenè & perfectè, quæ habentur in Scriptura hac Prophetica & Apostolica: Neque enim Ecclesia Catholica, quantis-

per

per in terris versatur, capax est totius illius lucis quæ splendet in Scriptura Prophetica & Apostolica. Convulso hoc principio primo, alterum illud principium eorum, quòd vox Ecclesiæ sit notissima & sua natura & nobis, sua sponte corruit: Labefactato vtroq; principio, conclusio eorum quam ex ijs inferunt vltrò colla bascit.

De Scripturæ sacræ prima proprietate: de qua Controversia tertia.

CAP. 9.

DEmonstrandum nunc est Scripturam esse antiquissimam tempore, quæ ex proprietatibus, quæ à nobis suprà Scripturæ sunt attributæ, prima est. Primùm omnium discutienda est nobis vocabuli Scripturę homonymia. Scripturæ nomen capi potest vel pro re tantùm ac substantia ipsa quæ literis est consignata; vel non modò pro re & substantia, sed etiam pro scriptione ipsa, siue forma qua illa substantia nobis est expressa. Iam si hoc nomine substantiam ipsam intelligas, illud est extra controversiã Scripturam esse antiquissimam, quum substantia sit sententiarum earum, quas non modò loquuti sunt Patriarchę et Prophetæ, sed etiam ipsemet Deus, quæq; etiam

etiam in mente Dei sunt ab æterno. Sin intelligas hoc nomine non tantùm substantiam, sed etiam scriptionem ipsam, et hac quoque ratione Scriptura dici potest antiquissima. Nam Scripturam hanc Propheticam & Apostolicam, etiam ratione scriptionis & formæ revelationis, jam non semel diximus ex Dei voluntate agnoscendam esse à nobis, non tantùm pro viva voce ipsorum Prophetarum & Apostolorum, neque tantùm pro viva voce ipsius Dei, aut etiam Scriptura exarata ipsius Dei digito, qualis erat illa decalogi, quam constat exaratam fuisse ipsius Dei digito in tabulis lapideis; sed etiam pro sententijs illis, &, vt sic dicam, notionibus, quę in mente Dei inscriptæ sunt ab æterno.

Vt rem hanc paulò altiùs repetam: Veritas illa quæ est in mente Dei ab æterno, revelata est in tempore pluribus modis; partim enim revelata est ipsiusmet Dei viva voce, partim ipsiusmet scripto, partim voce Patriarcharum, Prophetarũ, & Apostolorum, vt hîc nihil de Angelis dicam, partim denique scripto Prophetarum & Apostolorum. Cessavit jam à multo tempore viva illa & immediata Dei ipsius vox; non habemus Dei ipsius scriptum; desierunt loqui Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli;

ſtoli; manent ſola ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum: Quamobrem ad fidem neceſſarium eſt vt hæc ſcripta habeamus nos vice primùm vivæ vocis Prophetarum & Apoſtolorum; deinde viuæ vocis ipſiuſmet Dei; tertiò Scripturæ ipſiuſmet Dei digitis exaratæ; quartò denique veritatis ipſius, & notionum ac ſententiarum quæ ſunt in ipſa Dei mente, quibus cum nihil ſit antiquius, ſequitur hanc ipſam ſcriptionem propheticam & Apoſtolicam eſſe quodam modo antiquiſſimam. Nam quæ de viva voce ipſius Dei, vel de ſententijs quę ſunt in mente Dei prędicari poſſunt, illa aliquo modo prædicari poſſunt de Scriptura hac, quæ ſupplet eorum vicem: Si enim ſic aliquo modo verè enuncio, Scriptura eſt viva vox Dei, annon aliquo modo verè dico, Scriptura eſt antiquiſſima, quum viva vox Dei ſit antiquiſſima? Sed ſatis eſt ad oſtendendum antiquitatem Scripturæ, ſi ipſã conſideremus ſubſtantiam Scripturæ, quæ extra controverſiam antiquiſſima eſt. Scriptio tamen ipſa ſuã habet dignitatem, quum Scriptura ratione etiam ſcriptionis dicatur θεόπνευστος. Nullum enim eſt in ipſa ſcriptione jota quod non ſit à Deo inſpiratum.

Hîc inſurgunt adverſarij, &, vt alias ſemper, ita

ita & hic Ecclesiam suã Scripturæ præferunt, dicuntque Ecclesiam antiquiorem & vetustiorem Scriptura: nam, inquiunt, fuit Ecclesia ante Mosen, qui primus scriptor extitit, annos totos bis mille. A Christi autem adventu per annos multos fuit Ecclesia sine Scripturis. Sed ex his quæ diximus facilis est solutio: Si enim Scripturę nomine nõ intelligamus characteras literarum, & volumina, sed substantiam illam & materiam quæ literis his, characteribus, & voluminibus certo quodam modo comprehensa est (in Scripturis enim habemus loquentes Prophetas & Apostolos & viuam ipsorum vocem, habemus ijs comprehensam vivam ipsius Dei vocem, habemus deniq; ijs expressam Dei mentem) si, inquã, substantiam hanc accipiamus hoc nomine, jam negari non potest Scripturam esse non modò antiquiorem Ecclesia, quę ex verbo Dei tanquam semine incorruptibili nata est, *1. Pet. 1.* Renati non ex semine mortali, sed immortali, per sermonem viventis Dei, & manentis in ęternum: Non tantùm, inquam, videbitur Scriptura Ecclesia esse antiquior, sed & rerum omnium antiquissima, & cum ipso Deo ab ęterno esse. Sin hoc nomine accipias & rem & scriptionem, etiam hac quoque ratione

tione nihil incommodi est si ipsa antiquissima, non modò Ecclesia antiquior, prædicetur, vt suprà fusiùs diximus. Atque hactenus de prima proprietate Scripturæ sacræ, deque controversia tertia.

De secunda proprietate Scripturæ, de qua Controversia quarta.

CAP. 10.

SEcunda proprietas Scripturæ sacrę jam ferè ostensa est in tractanda secunda controuersia: Est autem quòd sit apertissima per se ac intellectu facillima: quum enim sit verbum Dei, & verbum Dei necesse sit omnes fateantur in se clarissimum, manifestimum, maximè perspicuum esse, sive verba, siue res verbis significatas respicias, nisi velint Spiritum sanctū summa afficere injuria, profectò sequitur Scripturam sanctam in se & per se apertissimā ac clarissimam esse, & totam & secundum omnes sui partes. De hac summa perspicuitate Scripturæ multa sunt ipsius Scripturæ testimonia. *Psal. 119.* Verbum Domini lucerna pedibus meis, *Psal. 19.* Præceptum Domini lucidum, & illuminans oculos appellatur. *Proverb. 6.* Mandatum lucerna, & lex lux. Dominus per Esaiam testatur se non in ab-

scondito loquutum 45. 2. Pet. 1. dicitur sermo Propheticus sermo cui tanquam lucernæ lucenti in loco caliginoso sit attendendum. Ergo tota Scriptura et omnia Scripturæ loca, per se & in se sunt manifestissima, apertissima, & accommodata etiam ad captum vulgi, & rudissimorum quorumcunque. Nam certum est Dominum in Scripturis balbutire nobiscum. *Iohan. 3.12.* Si terrena dixi vobis & non creditis, hoc est, terreno & crasso quodā modo vobis loquutus sum, accommodaviq; me ad captum verstum, &c.

Dixi Scripturam sacram per se apertissimam & intellectu facillimam esse, quia si hominum, quà homines sunt, hoc est, ψυχικοι, & carnales, rationē habeas, Scriptura sancta quę est de rebus spiritualibus tota obscura est: Animalis enim homo nō est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei. Sin respicias πνευματικους & θεοδιδακτους, adhuc etiam ijs obscura est ex parte, nempè, qua ex parte sunt ψυχικοι. Hinc sunt illæ assiduę piorum, (in quibus etiam adhuc hęrent reliquię cęcitatis illius & natiuę corruptionis,) preces ad Deum, vt velit aperire oculos mentis ipsorum, ad hoc vt videant lucem illā Scripturarum, & locorum quorumcunque Scripturę, alioqui in se clarissimam.

In

In precibus suis pij quique longè absunt ab eo vt imputent difficultatem & obscuritatem ipsi Dei verbo, verùm omnem culpā in se, cęcitatem, ac hebetudinem suam transferunt.

Etsi autem illud verum sit, Scripturam & omnia Scripturę loca simpliciter & per se manifestissima esse & facillima intellectu, ratione autem nostri & cęcitatis nostrę obscura esse ac difficilia, tamen illud negari non potest alia Scripturę loca alijs clariora esse per se, intellectu faciliora, ac manifestiora; vt sunt illa loca de dogmatis fidei & morum ad salutem intellectu necessaria, quę tam manifestè sunt proposita, tam sępè repetita, atque etiam multis in locis exposita, vt paucioribus interpretationis & cognitionis regulis contenta sint. Indigent autem hęc ipsa Spiritu Dei sancto, sine quo spiritualia quęque, etiam maximè perspicua, ab homine verè intelligi non possunt. Quamobrem qui hęc ignorat quę in se tam manifesta sunt, planè cęcus est, & de ipsius salute actum esse videtur. Quòd si tectum sit Evangelium nostrum tectum est ijs qui pereunt. *2. Cor. 4.*

Quod ad alia Scripturę loca quę in se magis obscura sunt, quum non sint de necessarijs fidei & morum dogmatis, ignorari possunt ci-

tra jacturã fidei ac salutis: etsi quidem eorum cognitio lucẽ aliquã afferre possit ad illa ipsa fidei & morũ dogmata intellectu necessaria magis cognoscenda. Eorum etiam tolerabilis aliqua & fidei analoga interpretatio haberi potest, si serventur cognitionis & interpretationis illę regulę, quę vulgò à viris doctis tradi solent: quarum principium repetimus à Spiritu sancto intus nos illuminante & docente; Alię quę deinceps numerãtur regulę Spiritus sancti organa sunt & media, & sumuntur partim ex ipsa Scriptura, vt ex collatione locorũ Scripturę, vel eorundem, vel sensu vel phrasi similium; partim aliundè, vt ex locis communibus theologicis, ex testimonio Ecclesię, ex ipsa Grammatica, præsertim hebraica & græca, ex Rhetorica, ex Dialectica, quæ non tantùm argumenta simplicia, sed etiam argumentorum dispositionem in axiomatibus, in syllogismo, in methodo considerat. Dialectica enim docet, id quod vocant cohæsionẽ antecedentium & consequentium, quæ quidem non parum facit ad locorum obscuriorum cognitionem. Vt de alijs nunc taceam, vtilis est etiam ad hanc rem saltem tolerabilis aliqua cognitio scientiarum aliarum particularium, vt Ethicæ, vt Physicæ, &c. Ad hæc omnia

nia accedere debent assiduę ad Deum preces & feriæ, vt velit oculos mentis nostræ Spiritu suo sancto aperire & illuminare. Hæc media si servẽtur in Scripturarum & locorum Scripturæ difficilium interpretatione, non facilè quis aberrabit à vero.

Hìc insurgunt adversarij, contenduntque pluribus argumentis Scripturas etiam per se & in se, etiam in ijs quę ad salutem pertinent, obscuras esse: scilicet vt homines vulgò abstinentes à Scripturarum lectione, pendeant ab ipsorum somnijs, & vt interpretationes suas obtrudant Ecclesiæ, nempè, eas quas ipsi volunt, & quas ferè pluris faciunt quam ipsum Scripturę textum; detorquẽtes potiùs Scripturæ textum ad glossam suam, quàm ex Scripturæ textu interpretationẽ deducentes. Partim igitur testimonio ipsarum Scripturarum agunt, partim testimonio Doctorum & Patrum, partim denique rationibus, quæ omnia facilè dissolvi possunt ex ijs quæ suprà à nobis jacta sunt fundamentis. Satis sit nunc si ad vnam aut alteram eorum objectionẽ respondeamus.

Quærunt, An non hæ Scripturæ quæ extant veteris & novi Testamenti egeant commentarijs, qui etiam quam plurimi à quam-

plurimis sunt conscripti? Respondeo per se quidem Scripturas sacras non indigere hominum commentationibus & scriptis interpretationibus, Scripturas enim habemus pro viua voce Dei ipsius: & quid est quæso quod potest vocem illã in se clariorem & apertiorẽ efficere? An potest vel homo vel Angelus clariùs eloqui aliquid, quàm ipse Deus? & an Deus de industria affectat obscuritatẽ? quorum vtrumque dictu blasphemum est. Commentarios tamen hominum doctorum & piorum qui in Scripturis Dei aliquantò plus temporis triverunt, vulgo hominum ac rudioribus non parum prodesse haud diffitemur; neque parum adjumenti afferre ad dispellendas istas naturæ tenebras.

Sed major quæstio est & gravior de prædicatione verbi Dei, & de Scripturarum explicatione quæ in publicis fidelium congressibus & cœtibus à pastoribus haberi solet: an non hæc explicatio & prædicatio verbi necessaria est, hæc, inquam, quę fit viva voce Pastorum & Doctorum? Respondeo Scripturas Dei quas nos habemus pro viva voce ipsius Dei ne hac quidem explicatione per se indigere, neque ministerio hoc, quod est in prædicando & explicando Scripturas sacras, Deum

tum aut verbum ipsius per se opus habere; verùm necessitatem hanc esse κατὰ τί tantùm, & respectu nostri, cæcitatis & ignorantię nostrę, qui pueri sumus, imò infantes, tantisper dum hîc vivimus. Vide *Ephes.4.1.Cor.13.* Postquã autem in viros evaserimus, quod futurum est in altero demùm sęculo, tum nullo nobis opus erit istiusmodi ministerio, sed contenti erimus & impleti sola illa luce Dei & Christi, sine doctrina aliqua vel hominum vel Angelorum. Atq; hæc hactenus de secunda Scripturæ proprietate, deque controversia quarta.

De tertia Scripturæ sacræ proprietate, de qua Controversia quinta.

CAP. II.

TErtia proprietas Scripturę sacræ est, quòd simplicissima sit, quòd ad verba & loquutionem attinet, neque vllam habeat in se ambiguitatem & amphibologiam. Differt autem hæc proprietas à superiori, quòd cum perspicuitas latiùs pateat & ad verba & ad res, simplicitas sit verborum tantùm. Dicimus itaque Scripturam esse in se simplicissimam, neque in se vllam habere ambiguitatem & amphibologiam, saltem non alicubi explicatam, si aliquid habeat obscuritatis. Sermo enim Domi-

ni,& Spiritus ipsius simplicissimus est, neque loquitur vnquam Deus, vt homines dubio & ambiguo sermone capiat, quod faciunt Diabolus & Sophistæ: sed vt homines veritatem doceat. Spiritus enim veritatis deducit nos in omnem veritatem. *Ioh.16.13.* Scriptura autem est θεόπνευστος, & verbum Dei, vt jam ostensum est: Ergo, nisi Deo velimus insignem facere injuriam, necesse est fateamur Scripturã in se simplicissimam sensu & significatione. Dico in se sensu simplicissimã esse, quia si sit in Scripturæ sermone ambiguitas aliqua, ea ambiguitas & multiplicitas nô jam imputanda est Scripturæ, sed cęcitati & ignorantiæ hominum, etiam eorum qui non ex malitia Scripturas detorquent. Nam non desunt qui Scripturas malitiosè pervertunt, torquent & retorquent, quum sciant tamen simplicè esse earum sensum. Cum sit hæc Scripturæ simplicitas, primùm ipse filius Dei ex Scriptura sacra adversus Satanæ insultus & quosvis adversarios disputans tela deprompsit, & ad Scripturam sacram omnes remisit. Deinde Apostoli, eorumque successores,& patres ipsi,ex Scriptura sacra contra hęreticos argumenta confirmandi sanam doctrinam & confutandi hæreses desumpserunt.

Sed

Sed adversus hanc quoque Scripturæ sacræ proprietatē adversarij insurgunt,& Scripturam sacram dubiam esse, ambiguā, flexiloquam,alutæ instar,cereum habere nasum,flecti hinc inde posse blasphemant: quò fieri dicunt vt liber hæreticorum sit, ex quo hæreses oriuntur, & omnes suis erroribus patrocinium quærere conantur. Sed responsio ex ijs quæ jam diximus facilis est. Nam ambiguitas illa & flexibilitas non est imputanda Scripturæ,quę est θεοπνευστος,& nobis vice ipsius viuæ vocis Dei: sed vel ignorantiæ,vel malitiæ, & petulantiæ hominum, qui vel non possunt deprehendere Scripturæ simplicem & verum sensum, vel Scripturam in alium sensum ex malitia animi detorquent.

At,inquiunt,in Scriptura passim reperiuntur tropi,allegorię,parabolæ,voces homonymæ,& loquutiones amphibologicę,visiones; quæ omnia habent ambiguitatem. Respondeo, quo tota res hęc manifestior evadat paulò altiùs nonnihil est repetendum. Cum ambiguitas quæ simplicitati contraria est, sit in verbis non in rebus : verba enim ambigua sunt,non autem res ambiguæ: ambiguitatem quæ est in verbis omnem ad quinque capita reducemus; primùm enim sunt verba voce simpli-

simplicia, quæ homonyma vocant. 2. sunt verba tropica siue modificata. 3. sunt orationes totæ & loquutiones quas vocant amphibologicas. 4. sunt orationes allegoricæ constantes tropis continuatis. 5. sunt verba & orationes typicæ, quæ sunt de typis & figuris.

De his omnibus in genere dico, vnum tantùm & simplex significari à Spiritu sancto per hæc omnia. Nam quod ad voces homonymas attinet, quæ plures res significant, si quæ voces hujusmodi in Scripturis reperiantur, & in primis illis linguis, hebraica & græca (vt necesse quidem est eas reperiri in Scripturis, & in originalibus illis linguis) Primùm dico eas accipi à Spiritu sancto in vno aliquo & simplici significato, idque ex proposito & de industria. Spiritus enim sanctus non quærit fallere & decipere more Sophistarum. Deinde dico illud vnum & simplex significatum deprehendi posse, vel ex proposito Spiritus, quod est in eo loco & textu in quo reperitur vox homonyma, vel ex collatione aliorum locorum Scripturæ, in quibus eadem illa vox homonyma reperitur, vel ex locis Scripturæ eundem sensum alijs verbis exprimentibus, vel denique ex Grammaticis accidentibus, accentibus, punctis, & reliquis. Si verba tropica,

ea, & in alium sensum à proprio suo & genuino sensu traducta reperiantur in textu Scripturæ, dico primùm ea vsurpari à Spiritu de industria ad significantiùs & efficaciùs exprimendum Spiritus sancti mentem & sensum duntaxat vnum ac simplicem. Vt cum dicitur (*Hoc est corpus meum*) per metonymiam hanc, quæ est in verbo *Corporis*, significantiùs loquitur Spiritus, quam si dixisset, hoc est signum corporis mei: nam loquutione illa metonymica planè innuit Spiritus, sacramentalem illam vnionem signi & rei significatæ: deinde dico si tropus sit paulò obscurior, haberi ex eadem Scriptura, vel eodem in loco vbi tropus invenitur, vel in alio Scripturæ loco, ejus tropi significationem per verbum proprium expressum.

Si occurrat in Scriptura oratio quæ videtur amphibologica, primùm sciendum, non de industria ambiguè loqui Spiritum ad fallendum more Sophistarum, verùm simplicem esse Spiritus sancti mentem: homines verò vel ex ignorantia, vel ex malitia, verba contextus malè construere & accipere. Deinde dico alia Scripturæ loca idipsum clariùs & apertiùs proponere. Si deniq; reperiantur in Scripturis allegoriæ, de ijs dico, primũ quod

ad

ad illustriorem significationem adhibeantur, deinde dico quòd simplicem habeāt sensum: & is sensus vel manifestus est, & nulla eget explicatione, vel non manifestus est, & explicatur clariùs in Scriptura alicubi.

Quod ad orationes de typis, dico primùm illas habere vnum sensum, & significare typos duntaxat, non etiam res typis rursus significatas: deinde ille vnus sensus, qui est typorum, accommodatur ad aliud significandum, hoc est, ad corpus ipsum: nam ipsi typi significant res significatas, & adumbratas typis, non autem verba ipsa, quæ typis significandis imponuntur. In illa enim ad *Gal. 4.* historia, nomen *Saræ* significat vxorem *Abrahami*, hoc est, typum duntaxat: deinde typus significat pactionem, hoc est, rem adumbratam, figuratam, et significatam. Atque hæc hactenus de tertia proprietate & controversia quinta.

De Proprietate quarta, Controversia autem sexta.

CAP. 12.

DIcimus itaque Scripturam sacram per se maximè vivam, efficacem, & vocalem, respondentem quærentibus de omnibus ad salutem necessarijs. Vitam hîc intelligo non crassam istam, qualis est hominum; sed spiritualem

tualem illam, qualis est Dei: & vocem vivam intelligo, spiritualem, quæ loquitur, non tam auribus, quàm animis. Primùm enim si substantiam revelationis respicias, hoc quod dicimus est extra controversiam. Continet enim Scriptura sermonem Dei, qui vivus est et efficax, &c. *Heb. 4.* Deinde si revelationis modum, hoc est, ipsam scriptionem respicias, verum quoq; erit. Nã 1. ea est θεοπνευστος: Quod autem divinitùs inspiratum est, illud vivum in se oportet esse, ac spirituale. Deinde Scriptura hæc est nobis, si non ipsa viva Dei vox, certè pro viva Dei voce. Non enim habemus nos aliam vivam Dei vocem quã hanc: Nam quod ad vocem Ecclesiæ, Pastorum & Doctorum in Ecclesia, ea est errori obnoxia, neq; Dei vox propriè dici potest. Dei autẽ vocem oportet vivã dicere: Ergo. Tertiò, ipsa Scriptura dẽ se loquitur, ac si vivam vocẽ haberet: vt legere est *Rom. 9.* Dicit Scriptura &c. Scriptura *Esaiæ* dicitur clamare super Israel. *Rom. 9.* 27. Quartò ad eam remittuntur quærentes de re aliqua ad salutem necessaria. *Esaiæ. 8.* Numquid non populus à Deo suo requireret? pro vivisne ad mortuos? ad legem magis & ad testimonium; quòd si non dixerint juxta verbum hoc, non erit ijs matutina lux. Item

filius

filius dei ad quęstiones de lege, de divortio, de Sabbatho, de Messia, de regeneratione, de resurrectione, deque ratione consequendi salutem semper ex Scriptura sacra respõdit, & scisscitantes ad Scripturam remisit. Quomodò legis, inquiens; An non legistis; Nunquam legistis; Quomodò scriptum est. Apostoli etiam Christi sua omnia ex veteri Scriptura probant atque confirmant. Apollo vir potens in Scripturis vehementer Iudæos convincebat publicè, ostendens ex Scripturis quòd Iesus esset Christus. *Act. 18.* Beroœenses recepto sermone cum omni animi promptitudine quotidiè scrutabantur Scripturas, an hæc ita se haberent. *Act. 17.* Sic primitiva Ecclesia; sic patres ex Scriptura sacra hęreses impugnârunt ac refutârunt. Denique imprimis æterna memoria dignum est factum Imperatoris Constantini Magni, qui in concilio Niceno patribus Biblia proposuit, dicens. In medio sunt Evangelici libri & Apostolici, antiquorumque Prophetarum sanctiones, quæ nos erudiunt quid de sacra lege sapiamus: expellentes itaque hostile certamen, ex verbis divinitùs inspiratis solutionẽ quęstionum mente percipiamus. Dixi per se esse vivam & vocalem, quia ratione hominum mortuorum, surdorum,

dorum, hoc est, ψυχικων, non διδασκαλων, mortua est & muta.

Hic adversarij insurgunt blasphemantes Scripturam sacram tanquã mortuam literam, mutam, non respondentem, ex qua certamina & controversię de religione dirimi nequeunt: ex adverso verò Ecclesiæ vocem, quæ proficiscitur ex Scriptura illa quæ vivis cordibus est insculpta à Spiritu Dei vivo, jactitãt vivam esse, vocalem esse, respondentẽ quęrentibus de omnibus ad salutem necessarijs, non patientem se truncari, & torqueri, sed sui per omnia similem perse verantem? Responsio, qua occurritur huic calumnię & blasphemię, jam patet ex ijs quæ dicta sunt; probavimus enim Scripturam sacram per se vivam esse & vocalem maximè. Quòd autem non statim ex Scripturis deprehendantur controversiarum decisiones in causa sunt homines, qui vel adeò ignari sunt & stupidi natura, vt loquentem & respondentem, imò clamantem, Scripturã intelligere & audire nequeant; vel adeò malitiosi sunt & obstinati, vt audire & intelligere nolint, imò velint sępenumerò vocem Scripturæ contra conscientiam in alium sensum detorquere, idque suo exitio. Quarè illud manet Scripturam vivam esse & vocalem

maxi-

maximè per se,& in se.

Vt autem nobis sit viva & vocalis, & nos eam loquentem et respondentem ad omnia quæ de Religione possunt controverti intelligamus,illa media, de quibus jam diximus, & inter quæ numeratur etiam ipsa grammatica, sunt adhibenda. Eorum enim mediorum beneficio oculi nostri & aures nostræ aperiuntur ad videndum Scripturæ mentem, & audiendum Scripturæ vocem, si modò visum sit Spiritui sancto efficaciter per ipsa operari in mentibus & cordibus nostris. Quòd si Spiritus velit esse efficax per ea, tum quidé Scriptura clariori voce, & magis viva, distincta, & articulata,vt sic dicam,respondebit ad omnes controversias de Fide & Religione, quàm respondebunt omnes quotquot sunt in Ecclesia homines,qui nihil sani, veri, certi respondere possunt,nisi priùs ipsi idipsum excipiant ex ore Scripturæ, & ex Scripturæ verbis respondeant. Nam quod dicunt isti Ecclesiæ vocem vivam esse,vocalem, quæ audiatur ab omnibus, neq; patiatur se truncari & torqueri: ad id respondeo,primùm Ecclesiæ vocem, vt dixi,pendere à Scripturæ voce; deinde Ecclesiæ vocem erroribus obnoxiam esse,et mutationibus: adeò vt aliud hodie respondeat,

aliud

aliud verò cras respondere possit, & Iesbia sit quodammodò norma ac regula controversiarum de Fide & Religione. Quod ad Ecclesiam Romanam, ita jam pridem ab ea responsum est de Fide & Religione, vt mundus abductus sit à veritate ad mendacia, errores, et hæreses infinitas; vt non sit quod isti venditet nobis, vel vocem, vel vocalitatem Ecclesiæ suæ corruptæ & adulteræ.

De Proprietate Scripturæ sacræ quinta, Controversia autem septima.

CAP. 13.

NVnc demonstrandum est Scripturam esse summè & simpliciter necessariam. Si Scripturæ nomine intelligas substantiam & rem ipsam quæ literis est consignata, negari non potest adeò necessariam esse, vt sine ea non possit esse in terris Ecclesia: nam ex verbo Dei, tanquã ex semine incorruptibili, nata est Ecclesia. *1. Pet. 1.* Sin verò intelligas Scripturæ nomine ipsam quoq; scriptionem, & revelationis formam; dico & hac quoq; ratione necessariam adeò, vt sine ea non possit esse Ecclesia. Nam viva vox Dei est necessaria simpliciter, Scriptura quodammodò est viva vox Dei: Ergo necessaria simpliciter.

Fateor equidem cum ipsa viva Dei vox sonabat in Ecclesia, non fuisse tum necessariam hanc scriptionē & revelationis hanc formam: at postquàm cessavit loqui Deus, data pro ipsius viva voce scriptione, jam scriptio non minùs dicēda est necessaria nunc, quàm tunc fuit ipsius viva vox. Vocem enim Dei ad hoc vt Ecclesia sit & persistat semper necesse est esse in Ecclesia, & audiri ab Ecclesia, vel per se, vel per id quod vivæ ipsius vocis vicem gerat. Ante Mosen per se audiebatur: Post Mosen sonuit in voce & scripto Mosis & Prophetarum: In adventu Christi viva vox ipsius Christi audiebatur: Post Christi ascensionem, pro viva voce ipsius Dei & Christi, audiebatur aliquandiu vox Apostolorum simulque vox Scripturæ veteris: Hinc cœpit Scriptura Apostolorum, quæ post Apostolos manet in Ecclesia vnà cum veteri Scriptura pro viva voce, non tantùm Apostolorum, sed etiam ipsius Dei & Christi. Ex his apparet in Ecclesia Dei necessariam esse simpliciter omni tempore Dei vocem vivam, vel ipsam per se, vel ipsius vicariam aliquā, quam nos dicimus nunc solam esse Scripturam veterem & novam, proindeque Scripturam hāc summè necessariam.

Huic

Huic assertioni, vt & alijs superioribus, opponunt se Adversarij, negantque Scripturam esse simpliciter necessariam; necessariam quidem esse ad benè esse Ecclesiæ fatentur, hoc est, vtilem esse Ecclesiæ: negant autem necessariam ad ipsum Ecclesiæ esse: Atque hanc Scripturæ necessitatem ideò negant, vt locus sit testimonio & traditionibus Ecclesiæ, hoc est, somnijs suis, quas dicunt simpliciter esse necessarias, & Scripturæ præferunt. Ex his quæ diximus facilè respondeti potest ad eorum sententiam. Si enim Scripturæ nomine ipsam Scripturæ substantiam intelligant, negari non potest Scripturam esse simpliciter necessariam: Sin verò intelligant non substantiam tantùm, sed etiã scriptionem, & hoc quoque modo accepto Scripturæ nomine, jam demonstravimus Scripturam esse necessariam simpliciter, cum sit nobis vice ipsius vivę vocis Dei. Quare falsũ est quod asserunt, sive hoc sive illo modo accipiatur Scriptura.

At, inquiunt, Ecclesia sine Scriptura fuit annos circiter bis mille, quibus conservata est Religio sola traditione: Ergo Scriptura non est necessaria simpliciter. Respondeo, si Scripturæ nomine intelligas ipsam substantiam, non sequitur: Nam substantia Scripturæ fuit

in ijs ipsis traditionibus quibus conservata est Ecclesia: Sin hoc nomine intelligas etiam ipsam scriptionem, tum quidem concedo Scripturam ipsam non extitisse illis tot annis, & ne necessariam quidē tum fuisse, quia tum audiebatur viva ipsius Dei vox. Si concludāt ex eo quod non fuerit scriptio tunc necessaria, ideò non esse necessariam etiam nunc; aut etiam non fuisse necessariam postquàm Deus eam imperavit, & postquàm cœpit esse; profectò sequela est pessima: nam alio tempore, alia atque alia mundi ætate, alia atque alia revelationis forma necessaria est.

Eadem Controversia de Scripturæ necessitate brevius.

SCriptura est necessaria non tantùm ad benè esse; sed etiam ad esse Ecclesię; & hactenus est simplex necessitas. Ratione autem temporis necessitas est κατα τι: nam non omni tempore necessitas fuit Scripturarum. Scripturæ nomine intelligo non modò substantiam, sed etiam revelationis modum: sed simplex hæc necessitas prædicatur de substantia & revelationis modo alia atque alia ratione: Nam Scriptura quoad substantiam necessaria est Ecclesię omni tempore, quoad verò revelationis

uelationis modum necessaria est certo tempore, nempè quo visum est Deo docere Ecclesiam suam per Scripturam. Argumentum 1. Non enim dedisset Deus Ecclesiæ Scripturam nisi necessariam duxisset eam, etiam ad esse Ecclesię. Argumentum 2. Viva vox Dei fuit suo tempore necessaria; ergo etiam Scriptura suo tempore: nam eadem est vtriusque ratio. Argumentum 3. Necesse est aliquo modo reveletur Ecclesiæ voluntas Dei, vel viva voce, vel scriptione, vel vtroque: at nunc cessavit viva vox, ergo nunc scriptio est necessaria.

Adversarij hanc simplicem necessitatem negant, his argumentis. 1. Ab *Adamo* ad *Mosen* nulla fuit Scriptura: Ergo. Respondeo toto illo tempore non visa est Deo necessaria; At postquam cœpit Deus ipse scribere, & inspiravit Scripturā sanctis viris, primùm Prophetis, deinde Apostolis, tum cœpit scriptura esse necessaria, & simpliciter quidem necessaria. Argumentum 2. A Mose ad Christum Iob, & amici ejus sine Scriptura & crediderunt & servati sunt. Respondeo hos quoque legisse Scripturas verisimile est ex historia Eunuchi. *Act. 8.* Deinde cum ijs qui erant extra Ecclesiam visibilem extra ordinē egisse

videtur Deus. Argumentum 3. Vſi ſunt magis traditionibus quam ſcripto in ſecunda ætate. Reſpondeo, falſum eſt. Argumentum 4. In tertia ætate multo poſt Chriſtum tempore non fuit Scriptura novi Teſtamenti: Ergo. Reſpondeo non longo poſt Chriſtum tempore cœpit Scriptura Apoſtolica: deinde toto illo tempore, fateor, non fuit neceſſaria, at decedentibus è vita Apoſtolis, ac ceſſante viua voce, cœpit jam eſſe neceſſaria.

De Proprietate ſexta, Controverſia octava.

CAP. 14.

SCriptura eſt perfecta, & omnia continet quæ ad fidē & mores ſunt neceſſaria, non tantùm ſufficienter, ſed & abundanter; hæc eſt enim illa perfectio de qua loquimur. Senſus itaque propoſitionis hic eſt: Revelationis iſte modus continet omnia quæ ad &c. probatur. Argumentum 1. Viva vox continebat omnia dogmata fidei & morū: Ergo & Scriptura: Ratio eſt, quia nihil viva voce quoad ſubſtantiam eſt dictum, quod non ſcripto quoque commiſſum ſit. Argumentum 2. Si non perfectè omnia comprehēderet tum mala eſſet noſtræ Eccleſiæ conditio, quæ non audit vivam vocem hominis θεοπνεύστου, vel Prophetæ,

Prophetæ, vel Apostoli. Argumentum 3. Experiuntur pij & διδάσκαλοι, sufficientiam in Scripturis sacris, imò abundantiam esse. Testimonia sequuntur. *Deut.4.* Non addetis ad verbum quod ego loquor, &c. *Apocal. 22.* Si quis adjecerit ad hęc imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto. Hæc etsi de particularibus libris accipienda sunt propriè, tamen eadem est ratio omnium librorum et Scripturæ totius; atque adeò major est ratio: Nam si particularibus libris non licet addere, quantò magis non licet addere toti Canoni. *Prov.30.* Ne adjicias quicquam verbis illius: hoc de tota Scriptura accipiendum videtur. *Mat.28.* Docētes eos servare omnia quæ mandavi vobis. *Gal.1.* Etiamsi nos aut Angelus è cælo evangelizet vobis pręter id quod evangelizauimus, anathema esto. *Iohan.20.* Hæc scripta sunt vt credatis, &c.

De sententia adversariorum, qui dicunt Scripturam mutilam, & mancam, vide imprimis Bellarminum, ejusque in hanc sententiam argumenta. Hanc Scripturæ imperfectionem docent, vt locus sit traditionibus & figmentis ipsorum: ideò de traditione dicemus pauca. *De Traditionibus.*

Traditionis nomen generale est, significatque

catque doctrinam vel scriptam, vel non scriptam: & ita quidem accipitur nomen hoc traditionis tam in sacris literis, quàm in scriptis Patrum: licet Papistæ dicant apud Patres accommodari hoc nomẽ tantùm ad significandum doctrinã non scriptã. Testimonia Scripturę quibus ostenditur generalis acceptio vocis. *Act.6.14.* Et mutaturum ritus quos tradidit nobis Moses. 2. *Thess.2.15.* Tenete traditam doctrinam, quam edocti estis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.

Traditionis partitio sequitur: Traditionis nomen in Scripturis attribuitur nonnunquã rebus necessarijs, & perpetuis; nonnunquam non necessarijs & temporarijs. De doctrina necessaria testimonium est. 2. *Thess. 2. 15.* de ceremonijs intelligitur locus qui est. *Act.16.4* loquitur enim de decreto concilij Hierosolymitani, quod erat de sanguine, suffocato, & Idolothytis, de quibus. *Act. 15. 28.* Quod ad traditiones attinet quæ sunt de necessarijs dogmatis vel fidei, vel morum, ea primùm viua voce tradiderunt: eorum deinde summam scriptis comprehẽderunt, vt liquet de Cœna. 1. *Cor.11.23.* item 1. *Thess.4.2.* vbi de præceptis honestæ vitæ agitur. Item 2. *Thess. 2.15.* Quod ad traditiones de non necessarijs & ceremoni-

remonialibus, ea vel scripto commiserunt, vt de Ecclesiasticis ordinibus, de quibus. *1. Cor. 11. 14.* vel non commiserunt scripto. *1. Cor. 11. 34.* Cętera cum venero disponam: Ordinaturũ se pollicetur ceremonialia, nominatum autem quę ad Cœnam dominicam spectant. De ceremonialibus hoc tantùm dicam: neq; erant immodica, neque inutilia, neque cum opinione necessitatis tradita ad obligandum hominum conscientias, neque his quę scripta erant contraria: Imò affirmo nihil ab Apostolis fuisse traditum quod non haberet fundamentum in verbo Dei, hoc est, in literis Propheticis, & in doctrina Christi, quæ postmodũ ab Evangelistis & Apostolis comprehensa fuit libris. Traditiones autem Papisticæ, immodicæ sunt, & inutiles, vtpote aniles nugæ, necessitatis opinione ferè omnes traditæ, pleræque Apostolicæ doctrinæ quã maximè adversãtes. Sic nos partimur traditiones.

Adversarij traditionis nomine intelligunt doctrinam non scriptã; non eam quidem quę nusquam est scripta, sed quæ non est scripta à primo suo authore, hoc est, ab eo qui ipsam tradidit viva voce. Hæc est igitur ipsorum Papistarum confessio, non posse se suas traditiones in Scripturis invenire, nec per Scripturas probare.

De

De Proprietate septima, Controversia nona.

CAP. 15.

SCriptura sancta est judex omnium controversiarum: Controversias intelligo, quæ sunt de Religione: Duæ autem sunt de religione controversiæ maximè insignes; prima est, de ipsa Scriptura, quo nimirùm judice constabit Scripturã esse verbum Dei; secunda est de sensu ac interpretatione Scripturæ, quo nimirùm judice constabit hunc vel illum sensum esse Scripturæ genuinum. Iudicium voco sententiam definitivam cum authoritate pronunciatam, in qua omnes acquiescere oportet. Scripturę nomine intelligo non tantùm substantiam, sed & modum revelationis, qui & ipse est Θεοπνευστος. Loquutio autem ista impropria est qua prædicatur de Scriptura quòd sit judex controversiarum. Nam propriè loquẽdo Spiritus sanctus est judex, cum judicem oporteat esse personam, Spiritus autem sanctus persona in Trinitate tertia est. Dicitur ergo Scriptura judex impropriè, quia est vox & sententia judicis pronunciata, primarium organon quo judicat Spiritus, sententiam suam pronunciat, nos docet, ac fidem cordibus nostris ingignit. Spiritus autem hic judicat liberè in quocunque vult, non in cer-

to

to aliquo hominum genere, vt in Pastoribus, & Doctoribus Ecclesiæ, sed in quibuscunq; ipsi visum est.

Tria igitur hîc occurrunt de quibus est hoc loco quærendum. 1. An Spiritus sanctus sit judex. 2. An Scriptura sit princeps ejus vox, qua pronunciat sententiam suam. 3. An judicet in quibuscunque sine discrimine, an verò alligatus sit certo cuidam hominum generi. Quod ad primum, respondeo Spiritum sanctū esse judicē. 1. Quia promissus est à Christo jam discedente Ecclesiæ suæ, & est datus tanquam Christi vicarius ad docendum, & judicandum, &c. 2. Quia inter cętera ejus officia hoc vnum est, judicare. Verùm quia de Spiritu non valdè contendunt Adversarij, quòd nimirùm per Spiritum sanctum omnia sunt judicāda, & per eum intelligēdę Scripturæ; ideò de Spiritu judice nos pauca dicimus.

Quod ad secundum: Quòd Scriptura sit vox judicis primaria, judiciaria, ac propria, qua fidem ipse ingignit cordibus nostris, patet his rationibus. 1. Scriptura est verbum Dei. 2. Est antiquissima. 3. Est apertissima, & ita deinceps. His addo testimonium ipsius Scripturæ. Suggeret vobis omnia quæ dixi vobis. *Ioh. 14. 26.* Addo quoque experientiam commu-

communem. Sunt & alia Spiritus ſancti media, ſed hęc poſteriora minùſque principalia, in quibus quoque eſt Eccleſiæ teſtimonium. Adverſarij impugnant hanc noſtrã de Scriptura, quòd ſit vox judicis propria, ſententiam, his argumentis. 1. Non eſt Scriptura inſcripta cordibus digitis Dei, neq; vox Dei primaria. 2. recens eſt. 3. obſcura. 4. ambigua, & ita deinceps. His addit Bellarminus quædam alia, de quibus lege apud ipſum. Statuunt autem vocem Spiritus judicis primariã et propriam, Eccleſiæ vocem. Prob. Eſt Scriptura in corde Scripturæ exarata Dei digito, & vox Dei primaria: & reliqua quæ nos Scripturæ ſacręq tribuimus ad Eccleſiã ſuam transferunt.

Quòd autem Spiritus hic judex ſit non alligatus certo hominum generi, vt Eccleſiaſticis hominibus, Papæ, & concilijs, vt ipſi loquuntur: ſed ſine diſcrimine judicium exerceat in quocunque ipſi viſum eſt, apparet. 1. Quia niſi Spiritus ſanctus judicans, ſiue de ipſo Scripturæ contextu, an ſit verbum Dei, ſiue de interpretatione Scripturæ; niſi, inquã, ſit in homine ipſo, profectò nulla vnquam futura eſt fides. Spiritus enim ſolus eſt, qui fidẽ ingignit cordi. 2. Spiritus ſanctus alias functiones ſuas liberè exercet in quocunq; Ergo

go & hanc functionem quæ est in judicando. Nam quid quæso aliud est judicare quàm illuminare, & docere hanc Scripturam esse θεόπνευστον, hunc esse Scripturæ hujus sensum genuinum. 3. Id ipsum experientia docet: nam experimur liberè eum judicare in quibus ipsi visum est. Hanc rem confirmant etiam testimonia ex Scriptura. *1. Cor. 12.1.* Sed omnia hæc efficit vnus Spiritus distribuens privatim ea cui vult: & *Esaiæ.54.* Erunt omnes θεοδίδακτοι. *Ieremiæ.31.* Inscribam legem meam cordibus eorum, &c. Adversarij hoc oppugnant certis quibusdam argumẽtis, de quibus lege apud Bellarminum. Alligant autem Spiritum sanctum Papæ, & Concilijs per ipsum confirmatis, id quod nostri homines oppugnant argumentis pluribus; inter quæ hoc vnum est. Sic enim sequeretur Papam, & Concilia per eum confirmata esse supra Scripturam: Quod absurdum est. Reliqua pete ex eorum disputationibus.

De Proprietate octaua, Controversia autem decima.

CAP. 16.

POstremò dicimus Scripturam sacram esse summæ authoritatis, præstantiæ, & dignitatis

catis. Scripturæ nomine intelligimus & substantiam & scriptionem. Dignitatem eam intelligimus, qua ipsa est fide dignissima, & fidem procurat Ecclesiæ: Vnde ipsa columna & stabilimentum veritatis vocatur. *1. Timoth. 3. 15.* & accipit alia elogia, quæ ipsi in Scripturis sacris passim tribuũtur. Probatur ex theorematis jam antè demonstratis: Est verbum Dei, est apertissima, est simplicissima, & ita deinceps. Ergo.

Adversarij de hac authoritate Scripturæ, diversè sentiunt: alij enim summæ ipsius authoritati detrahunt, dicuntq; eam per se quidem authenticam non esse, sed accipere authoritatem suam ab Ecclesia. Eckius in Enchiridio. Pighius lib. 1. de Hierarchia; Hermannus quidam impudentissimus Papista, dicit Scripturam nihilo plus momenti habere, quã fabulas Æsopi sine testimonio Ecclesiæ, &c. Alij verò, & ij quidem recentiores & çautiores, dicunt per se & in se authoritatem habere Scripturam, & authenticam esse: quoad nos verò non esse, ante sententiam Ecclesię. In hac sententia sunt Bellarminus, Coclæus, Canus, Stapletonus, Canisius, &c. Eorum sententia, qui dicunt quoad nos non esse ante sententiam Ecclesiæ authenticam hæc

est,

est, quòd non teneamur nos Scripturis credere quòd authenticæ sint, antequàm Ecclesia id dicat; quòdque nihil peccemus, ideò quòd non credamus ante definitivam Ecclesiæ sententiam. Sed nos dicimus hoc quoque falsum esse, Scripturam quoad nos non esse authenticam sine Ecclesiæ authoritate. Spiritus enim sanctus est qui docet quemq; Scripturam esse authenticam, & in se authoritatem habere, eamque summam. Docet autem hoc non per externum aliquod mediũ primùm, sed per ipsam Scripturam sacram, per quam solam fidem hujus rei propriè ingignit cordibus nostris. Nos freti hoc Spiritu sancto docente nos ex ipsa Scriptura hanc Scripturæ authoritatem, eam esse jam credimus, etsi totus mundus contradicat. Hactenus de quæstionibus de Scriptura magis essentialibus.

De quæstionibus de Scriptura sacra magis accidentalibus, ac primùm de libris quibus continetur Scriptura.

CAP 17.

PRima quæstio est de libris in quibus continetur Scriptura, ita à nobis jam explicata & elogijs suis exornata. Libri igitur vocantur vulgò βιβλια, καὶ ἐξοχὴν. Biblia autem ista quæ

vulgò

vulgò habemus in manibus librorum duo genera continent. Primùm libros Canonicos, deinde Apocryphos. Canonici siue regulares sunt hi qui continẽt regulam fidei et morum.

Canon primus, sunt libri Mosis, qui nullo alio externo Canone, quasi mensurantur: Nam nihil scriptum extitit ante libros Mosis. Authoritas autem personæ tam sanctæ, et ipsorum librorum spiritualitas, vt sic dicam, & sanctitas conciliavit ijs authoritatem, vt de alijs taceam. Canonem secundum constituunt libri Prophetarum, qui Canonici sunt judicati ex externo illo Canone librorum Mosis, ad quem ipsi sunt examinati. Deinde etiam ex sua spiritualitate, & rerũ, & verborum, quã qui θεοδιδακτοι, id est, interiùs per Spiritum erant docti, facilè deprehenderunt. Canonem tertium constituunt libri Apostolici novi Testamenti, qui Canonici judicati sunt partim ex libris Mosis canonicis, partim ex libris Prophetarum, partim ex sua ipsorum spiritualitate, quam qui θεοδιδακτοι sunt facilè deprehendunt.

Canonici libri Bibliorum partim sunt veteris, partim novi Testamenti. Veteris Testamenti Canonici sunt.

Mosis libri quinque.
Iehosuæ lib. vnus.
Iudicum lib. vnus.
Ruthæ lib. vnus.
Samuelis lib. duo.
Regum lib. duo.
Chronicorum lib. duo.
Esdræ lib. vnus.
Nehemiæ lib. vnus.
Esteræ lib. vnus.
Iobi lib. vnus.
Psalmi.
Proverbia.
Ecclesiastes.
Liber Canticorum.
Iesaias.
Ieremias.
Ieremiæ Lament.
Ezechiel.
Daniel.
Minores Prophetæ duodecim.

Novi Testamenti Canonici sunt omnes illi libri qui vulgò habentur.

Evangelium secundum Matthæum.
Evangelium secundum Marcum.
Evangelium secundum Lucam.
Evangelium secundum Iohannem.
Acta Apostolorum.
Pauli Epist. ad Rom.
Ad Corinthios duæ.
Ad Galatas.
Ad Ephesios.
Ad Philippenses.
Ad Colossenses.
Ad Thessal. duæ.
Ad Timotheum duæ.
Ad Titum.
Ad Philemonem.
Ad Hebræos.
Iacobi Epistola.
Petri Epist. duæ.
Iohannis Epist. tres.
Iudæ Epistola.
Apocalypsis.

Etsi quidē de aliquibus est dubitatum, idq; non ab omnibus, aliquandiu, vtpote de Epistola ad Hebræos, *Iacobi* Epistola, posteriore *Petri*, secunda & tertia *Iohannis*, Epistola *Iudæ*, *Apocalypsi*: tamen non sunt planè rejecti illi vllo tempore, sed dubitatum est an essent recipiendi. Canonici hi veteris & novi Testamenti scripti sunt à viris Dei sanctis, actis Spiritu sancto. *2. Pet. 1. 21.* & hi partim Prophetæ sunt dicti à Spiritu Prophetico, qui scripserunt libros Canonicos veteris Testamenti: partim Apostoli à munere suo, qui scripserūt libros novi Testamenti. Libri Canonici veteris & novi Testamēti partim habent Scriptores suos vel nominibus expressis, vel notis quibusdam indicatos, partim verò minimè, ea re significante nobis Spiritu sancto scriptores illos tantùm instrumenta fuisse, non authores horum librorum: Itaque non tanti faciendum eorum nomen, neque ita sedulò in id inquirendum, si quādo non sit expressum. De Canonicis hactenus.

De Apocryphis.

Nunc de Apocryphis. Ideò autem dicti sunt Apocryphi quia Ecclesia voluit eos abscondi, non autem publicè legi, vel doceri in Ecclesia,

Ecclesia, sed permisit privatam duntaxat eorum librorum lectionē. Apocryphi libri tantùm sunt veteris Testamenti, & numerantur vndecim vulgò.

Iudith.	*Adiectiones ad Danielem.*
Tobit.	*Oratio Manassis.*
Esdræ tertius et quartus.	*Libri Machabæorum.*
Sapientia Salamonis.	*Esterę reliquum à vers. 3. Cap. 10.*
Ecclesiasticus.	
Baruch.	
Epistola Ieremiæ.	

Ex his sunt quos ipsi adversarij Apocryphos judicant. 1. Est oratio Manassis. 2. Esdræ liber tertius & quartus. 3. Machabęorū tertius, item quartus, cujus Athanasius meminit in Synopsi. Sed nobis demonstrandum est omnes pariter esse Apocryphos. Argumentum primum est à scriptoribus. Omnes Canonici Libri veteris Testamenti sunt scripti à Prophetis: At hi non sunt scripti à Prophetis: Ergo non sunt Canonici, sed Apocryphi. Probo propositionem. *Luc. 16.* Habent Mosen & Prophetas, hoc est, scriptum Mosis & Prophetarum. *Luc. 24.* de Christo dicitur quòd exorsus à Mose & Prophetis interpretatus sit in omnibus, &c. Ergo Moses et Prophetę scriptores erant veteris Testamenti.

Rom. 16. Scripturas vocat Propheticas: & 2. *Pet. 1.* λογον vocat προφητικον, nempè, Scripturam veteris Testamenti. Ad assumptionem, At hi non sunt scripti à Prophetis: probatur, Prophetarum vltimus fuit Malachias; Inter Malachiam autem & Iohannem Baptistam nullus surrexit Propheta. At hi Libri sunt scripti post Malachiam, idque de quibusdam negari non potest, vt de Ecclesiastico, & lib. Machabæorum: Ergo. Argumentum. 2. est à lingua qua scripti sunt omnes Libri Canonici. Sunt ij scripti lingua Canaan, lingua Hebræa, lingua Prophetarum: vtpote à Prophetis conscripti. At hi libri non sunt scripti lingua Hebrea, sed plerique omnes Græca: Ergo. Propositio manifesta est: Assumptio patet, & comprobatur reipsa, vt nihil de Patrum testimonio dicam, nihil etiam de adversariorum confessione. Argumentum 3. à testimonio veteris Ecclesiæ Iudaicæ. Si essent Canonici, veteres Hebræi de ijs aliquid audivissent. At nihil audiverunt: Ergo. Propositio patet: Assumptio probatur: Nam ætate Esdræ omnes Canonici sunt in vnum collecti, & ea fuit Iudæorum cura de ijs, vt etiam literas quotquot in Prophetis reperiebantur numerarint, & in vnam summam redegerint: quantò magis

gis curæ fuissent ijs toti libri isti, si modò de ijs aliquid audivissent. Argumentum 4. à testimonio recentioris Ecclesiæ Iudaicæ quæ fuit Christi ætate. Si Canonici essent eos recepissent recentiores Iudæi: at non receperunt, imò rejecerũt. Ergo Canonici non sunt. Propositio probatur: Nam si Canonicos non recepissent, proculdubiò eo nomine à Christo reprehensi fuissent, cum ab eo reprehensi sint propter siniſtras & perversas interpretationes Scripturarum Canonicarum. Assumptionem confitentur ipsi adversarij. Argumentum 5. à testimonio Christi & Apostolorum. Si Canonici essent, Christus & Apostoli doctrinam suam alicubi ex ijs fuissent testati: at id nunquam reperitur: Ergo. Propositio manifesta est, assumptionem res ipsa docet. Argumentum 6. Hi continent quædam diversa ab ijs quæ in Canonicis habentur, imò quædam cum ijs pugnantia, quædam falsa, quædam fabulosa, quædam impia. Ergo non sunt Canonici. Prob. antecedens. *Tobit. 3.8.& 3. 25.& 5.15.& 11.12. Iudith. 8.6.& 9.2.& 9.13. & 16.8. Baruch. 6.2.* Adjectiones ad *Danielem. 13. 1. & 14. 32.* Adjectiones ad *Hester. 15. 1. 2. Machab. 2.1.& 7.8.27. & 12. 43. & 14.37.& 15.39.* Argumentum. 7. Hi con-

tinent ἀσυμφωνα & pugnantia inter se: Ergo. Probatur antecedens. Confer. *1. Machab. 6. 8. & 2. Machab. 1. 16. & 2. Machab. 9. 5.* Confer. *1. Machab. 9. 3. & 2. Machab. 10. 1.* Confer *1. Machab. 4. 36. & 2. Machab. 10. 1.* Confer *1. Machab. 6. 17. & 2. Machab. 10. 11.* Argumentum 8. est à testimonio humano petitum. 1. Conciliorum. 2. Patrum, primùm veterum, deinde recentiorum. Concilia quæ Canones habent de Canonicis Libris & Apocryphis hæc ferè sunt; Laodicenum, quod celebratum est post natum Dominum anno 300. Carthaginense tertium, post natum Dominum anno 400. Trullanum, celebratum anno 600. Florentinum, anno 1150. Tridentinum nostra ætate. His positis argumentamur: Concilium Laodicenum, quod ex his à nobis enumeratis est antiquissimum, hos excludit tanquam Apocryphos. Vide ejus concilij Canonem 59. Ergo. At objiciunt adversarij: Nondum constitutus fuit Canon ante concilium Carthaginense tertium: Respondeo. 1. Concilium illud non nisi post natum Christum annos 400. celebratum fuisse: at absurdum est tam diu non fuisse in Ecclesia aliquē Canonem: Ergo. 2. Concilium illud non generale, sed provinciale fuit: At non licet provinciali

vinciali ſtatuere de Canone totius Eccleſiæ: Ergo. At, inquiunt, confirmatum eſt per concilium Trullanum? Reſpondeo, At per Trullanum confirmatum eſt concilium Laodicenum. Illud deinde Trullanum eſt improbatum ab ipſis Papiſtis in multis.

Hactenus de Concilijs, nunc ad Patres. Patres veteres hos rejecerunt tanquã Apocryphos: Ergo. Probatur inductione. 1. Athanaſius in Synopſi. 2. Cyrillus Hieroſolymitanus. 3. Hilarius Epiſcopus Pictavienſis. 4. Melito Sardenſis. 5. Nazianzenus in carmine ſuo. 6. Hieronymus in Prologo Galeato qui præfigitur lib. Regum. 7. Gregorius magnus. 8. Ioſephus contra Appionem. 9. Ruffinus in expoſitione Symboli Apoſtolici. 10. Auguſtinus. Excipiunt contra hos adverſarij. At hi loquuti ſunt de Canone veteris Teſtamenti Hebræorum non Chriſtianorum? Reſpondeo, 1. quaſi verò alium oportet eſſe Canonem Hebræorum, quàm Chriſtianorum. 2. Eundem illum Canonem Hebræorum ipſi approbarûnt. At nondum, inquiunt, fortè illorũ temporibus conſtitutus fuit Canon? Reſp. Quando igitur conſtitutus fuit, aut in quo Concilio? an in concilio Tridentino? at nimis recens eſt, ætate vtpote noſtra.

An in concilio Florentino? nimis etiam recens. An in concilio Carthaginensi tertio? At illud concilium. 1. provinciale fuit. 2. improbatur in quibusdam ab ipsis Papistis, vt in illo Canone de summo Sacerdote qui numero est 26. At, inquiunt, confirmatum est per Trullanum? Resp. 1. sic & Laodicenum. 2. sic seriùs constitutus est Canon, nempè anno Christi 400. 3. Trullanum improbatur in multis ab ipsis Papistis. 4. Post Trullanum extiterunt patres qui Apocryphos non receperunt. Atq; ita pervenimus ad Patrum secundam classem, nempè, recentiorum.

Sic itaque argumentor. Recentiores non numerant hos inter Canonicos: Ergo. Probatur inductione. Isidorus in lib. de officijs, Iohannes Damascenus, Nicephorus, Leontius, Rabanus Maurus, Radulphus, Lyranus, Carthusianus, Abulensis, Antoninus, Hugo Cardinalis, Erasmus alicubi, Cajetanus Cardinalis. At hi omnes fuerūt post Trullanum concilium, nonnulli etiam ex ijs post Florentinum ab Ecclesia Romana pro filijs sunt habiti. Ex his testimonijs primū Conciliorum, deinde Patrum, patet nullum judicio legitimo constitutū fuisse Canonicum inter istos: si enim fuisset hoc factum, isti tot patres vete-

res

res & recentiores agnoviſſent. Quare Apocryphi ſunt.

Adverſarij pro ſua ſententia afferunt quoq; teſtimonium humanum, quod illis ferè vnicum eſt, vtpote Concilia illa de quibus diximus, vt Carthaginenſe tertium, Trullanum, Florentinum, Tridentinum. At nos duo poſteriora tanquam tyrannica & congregata aduerſus veritatem rejicimus. De Trullano etiam & Carthaginenſi tertio ſententiam noſtram adduximus. Patres verò pro ſe afferunt potiſſimùm Pontifices, vt Innocentium, vt Gelaſium, etiam Auguſtinum alicubi. At reſpondeo. 1. Neq; tot neq; tam vetuſtos afferre pro ſe poſſunt. 2. Patres illi cum vocant hos quos nos rejicimus Canonicos, Canonicorum nomen latiùs accipiunt, pro libris aliquam ſanctitatem præter & ſupra ſcripta prophana habentibus; non autem paris authoritatis cum ijs qui revera ſunt Canonici. Et nos quoq; non negamus in pleriſq; ex his eã inveniri ſanctitatẽ quę non invenitur in alijs ſcriptis prophanis. De Apocryphis hęc hactenus.

De authentica Bibliorum editione.

CAP. 18.

CVM multę extent Bibliorum editiones in multis & varijs linguis, vt Hebraica, Græca,

Græca, Latina, & linguis alijs vernaculis, quæritur quæ ex his omnibus authentica habenda sit? Respondeo Hebraica editio veteris Testamenti, & Græca editio novi pro authenticis habendæ sunt; adeò vt ex his omnia sint definienda, & omnes aliæ editiones ita comprobandæ, si cum his conveniant. Dicemus itaque primùm de editione Hebraica Testamenti veteris. Affirmamus igitur editionem veteris Testamenti Hebraicam authenticam esse. Hanc propositionem demonstrabimus, postquàm pauca quædam præfati fuerimus de lingua Hebraica, de scriptione veteris Testamenti in lingua Hebraica, de conservatione librorum veteris Testamenti in lingua hebraica conscriptorũ in hodiernum vsq; diem.

Lingua Hebraica omnium prima fuit, adeòque vnica ad diluvium vsque & exstructionem arcis Babylonicæ. *Gen. 11.* Erat vniversa terra sermonis ejusdem, & erant verba eadem. In extructione arcis Babylonicæ cœpit linguarum confusio, & ex prima Hebraica quasi matre multæ aliæ sunt enatæ: nam aliæ omnes nihil ferè sunt aliud quàm ἰδιώματα, & dialecti linguæ Hebraicæ, quarum aliæ matri similiores sunt, aliæ ab ea magis deflexerunt. In confusione illa linguarum conservata est

Hebraica

Hebraica lingua matrix, vt Hieronymus vocat, in familia Heber, qui quartus fuit à Noacho, & vixit eo ipso tempore quo extructa est arx Babylonica, cœpitq; confusio linguarum. Ab Hebere est Hebraica primùm appellata, & ab eo propagata ad posteros, non quidē omnes, sed eos ex quibus ortus est *Abrahamus*; hinc ad vltimos vsque Prophetas transiisse est. Nam *Chaggai*, *Zacharias*, *Malachias* Prophetæ hac lingua scripserunt. Hactenus de lingua dictum.

Lingua hac Hebraica & sancta scriptum est primùm vetus Testamentum. Scriptor primus fuit *Moses*; hunc sequuti sunt Prophetæ; quorum alij ante captivitatem, alij in captivitate, alij post eam scripserunt: Et scripserunt quidem omnes hebraicè, si *Danielem* excipias, & *Esdram*, qui quædam Chaldaicè scripserunt: Sed hoc nihil impedit quo minùs vetus Testamentum totū hebraicè scriptum esse dicatur, cùm Chaldaica Hebraicæ sit vicina.

Nunc de conservatione horum librorum veteris Testamenti dicendum est. Libri Mosis & Prophetarum, hoc est, vetus Testamentum hebraicè scriptum, admirabili Dei providentia conservati sunt ad hodiernum vsq; diem: conservati, inquam, in temporibus difficillimis

ficillimis & periculosissimis, vt in incendio vrbis, & templi Hierosolymitani, in captivitate & persequutione illa Antiochi Epiphanis longè gravissima: nam is & in ipsos libros sæuijt; in persequutionibus post Christum sub Imperatoribus Romanis.

Sed hîc quęsitum, an ijdem libri qui à *Mose* & Prophetis ante captivitatem scripti sunt, pervenerint in manus nostras? Respondeo de hac re fuerunt varię hominum sententiæ: non enim defuerunt qui putarûnt illos Mosis & Prophetarum libros consumptos fuisse in incendio illo vrbis & templi, hos autem quos nos habemus reparatos fuisse & rescriptos deniuò ab *Esdra* jurisperito, extra ordinem à Deo inspirato, & vocato ad id muneris. In hac sententia fuerunt Basilius in Epistola ad Chilonem, Irenęus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Isidorus de officijs, Rabanus Maurus, Leontius. Adducti sunt fortassis ad hanc sententiam propter historiam illam, vel fabulam potiùs, de qua legimus *Esdræ. 4. 14.* Sed liber ille Apocryphus est, & rejectus, non tantùm à nostra Ecclesia, sed etiam pontificia. Sententia autem sic refutari potest. 1. Si ab *Esdra* fuissent de integro rescripti, profectò scripti fuissent, vt verisimile est, non Hebraicè

sed

sed Chaldaicè, vel certè lingua mixta ex Hebraica & Chaldaica. Nam *Esdras* sic ipse scripsit lingua illa mixta duos libros *Esdræ. 2. Nehemiæ. 8.* dicitur *Esdras* attuliſſe & legiſſe non libros ſuos, aut à ſe ſcriptos, ſed libros legis *Moſis.* 3. Non eſt veriſimile nullum extitiſſe pium, vel Prophetã, vel alium, qui tempore incendij, vel non eripuerit ſacros libros ex incenſo templo, vel certè apud ſe nullũ horum exemplar habuerit; præſertim cum eo tempore vixerint *Ezechiel* et *Daniel* extra omnem controverſiã. 4. Vel ipſum nomen quod à *Daniele* Monarchiæ illi chaldaicæ tributum eſt, cum auream eam appellat, arguit non ab ea ſęvitũ eſſe in libros ſacros: Quod ſi enim deleviſſet libros ſacros, puto tã præclaro nomine à Spiritu ſancto nunquam fuiſſet inſignita: Ergo falſa eſt illa ſententia; vera autem eſt quod reſervati ſint libri Moſis & veterum Prophetarum in vrbis & templi incẽdio, & in captivitate, venerintq; tandem in manus noſtras. Neque tamen inficiamur, quod à pijs viris ſcriptum legimus, *Eſdram* poſt reditum populi libros illos Moſis & Prophetarum repurgaſſe, in vnum corpus digeſſiſſe, & certo ordine eos diſtribuiſſe. De hac quæſtione hactenus.

Nunc

Nunc his præmissis probabimus editionem hebraicam veteris Testamenti authenticam esse solam. Ea editio quæ scripta est lingua omnium prima, & primùm lingua omnium prima, & in hac lingua purè & integrè conservata est ad nostra vsque tempora, ea, inquam, editio authentica est veteris Testamenti: At talis est hebraica editio: Ergo.

Adversarij non possunt negare scriptam esse lingua omnium prima ac matre aliarum, neq; etiam primùm scriptam esse hac lingua, neq; etiam conservatam esse in puritate certè aliqua ad hodiernum vsq; diem: Sed summam hanc, quam nos dicimus, puritatem ei denegant. Bellarminus ex toto veteri Testaméto quinq; duntaxat loca protulit quibus conatus est probare perturbatũ esse, aliqua certè ex parte, fontem hebraicum. Primus locus est *Esaiæ 9.6.* vbi legitur hebraicè [VAJIKRA SCHEMO PELE] *Et vocabit nomen eius* (nempè Iehova) *admirabilem.* At vulgata Latina editio legit, *Et vocabitur*, quam lectionem approbat Calvinus: Ergo vel confessione Calvini hîc fons Hebraicus turbatus est. Resp. 1. Sensus idẽ est siue legatur, *vocabit*, siue legatur, *vocabitur*. 2. Eędem literæ sunt vtriusque vocis hębraicæ, *Vocabit*, *vocabitur*, puncta

puncta autem diversa, quæ corpus vocis ipsius non faciunt aliud & diversum. 3. Hebræi Doctores, vt Vatablus, tradunt sæpè apud Hebræos verbum personale tertiæ personæ pro impersonali accipi, vt hîc *Vocabit* pro *Vocabitur*. 4. Tremellius & Iunius retinent lectionem hebraicam, & reddunt, & *vocat nomen eius, &c.*

Secundus locus. [VEZEH SCHEMO ASCHER JIKREO, IEHOVAH TSIDKENV] *Ier. 23.6. Et hoc nomen eius, quo vocabit eum, Iehova Iustitia nostra.* At vulgata Latina editio legit, *Quod vocabunt eum, Dominus iustitia nostra:* quam lectionem etiam approbat Calvinus. Ergo hîc hebraicus fons, vel teste ipso Caluino, perturbatus est. Resp. 1. Sensus non est incommodus si legatur, *Quo vocabit eum,* nempè, *Iehova iustitia nostra:* nomen autem quod præcessit nomen est populi securitatis, populi qui securè habitat, vt Tremellius & Iunius intelligunt & vertunt. 2. Sexaginta vertunt καλεσει, vocabit. 3. Hieronymus liberum facit. 4. Hebræi Doctores Vatablus, Pagninus, Arias Montanus legunt *vocabit*, & vertunt *vocabunt.*

Tertius locus est *Psal. 22. 17.* [CAARI JAUDAI VERAGLAI.] *Foderunt manus meas &*

pedes

pedes meos. In Latina editione legitur *Foderunt:* ita legunt omnes Christiani, cum in hebraica legatur, *sicut Leo:* quare hoc loco corruptus est fons hebraicus. Resp. Masoritæ testantur in nonnullis exemplaribus hebraicis lectum fuisse, [CARV] hoc est, *Foderunt:* ijdē testātur in quibus libris legitur [CAARI] verbum hoc non accipi in trita significatione. Chaldæus paraphrastes vtrunque conjungit, *Sicut Leo pertundit dentibus, sic isti foderunt, &c.* At hi fuerunt ante Hieronymum, Masoritæ, inquam, & Chaldæus paraphrastes: Ergo falsum est hunc locum corruptū fuisse à Iudæis post Hieronymum. Hieronymus in Psalterio suo retinet hanc lectionem [CAARI] & tamen vertit *Foderunt.* Quidam homo Pontificius Augustinus Iustinianus qui edidit lib. Psal. collectum ex varijs linguis, apertè admonet hunc locum non esse corruptum, sed defectum esse verbi, quem supplevit Chaldæus paraphrastes.

Quartus locus est *Psal. 19. 5.* [BECOL HAARETS JATSA CAVVAM.] *In omnem terram exivit linea vel delineatio eorum.* At non modò vulgata versio, sed etiā Septuaginta, quos sequitur Apostolus *Rom. 12.* legunt, *sonus eorum,* φθογγος: Ergo hic locus est corruptus. Ad

hoc

hoc respondeat vel solus Genebrardus in scholijs suis in psalmos, qui dicit Septuaginta & Paulum sensum potiùs verbi quàm significatum genuinũ ac proprium expressisse, nam delineatio quodammodò vocem suam edit.

Quintus locus est *Exod. 2.* post versum *22.* in latina vulgata editione totus hic locus legitur de altero Mosis filio: *Alterum verò peperit quem vocavit Eliezer, dicens, Deus enim Patris mei adiutor meus, & eripuit me de manu Pharaonis.* At hic totus locus desideratur in hebraica editione: Ergo. Respondeo, obeliscus est inustus huic loco etiam in editionibus Lovanienſibus, qui admonet hunc locum irrepsisse: Et puriores ex Papistis eum putant non esse genuinum, vt Cajetanus, qui sic in hunc locum scribit: *Tota ista particula de secundo filio superflua est.* Ex his igitur non concludit Bellarminus hebraicam editionem corruptam esse, ac proinde non esse authenticam.

Ergo vicissim vno hoc argumento concludo non esse corruptam hebraicam editionem. Si corrupta est à Iudęis, id factum est vel ante Christi ætatem, vel post: Non ante: id quod, omissis Patrum testimonijs, vel hoc solo argumento ostendi potest: Si à Iudæis fuisset corrupta editio hebraica id flagitium

non dissimulasset Christus in adventu suo: At nusquam legimus Christum Iudæos insimulasse hoc nomine, quod ab ijs editio hebraica fuerit corrupta, imò verò legimus eum ipsos remisisse ad hanc ipsâ editionem, quam in manibus habebant. Scrutamini, inquit, Scripturas. *Iohan.5.39.* Non post Christi ætatem corrupta est, id quod prętermissis patrum testimonijs hac sola ratione ostendi potest; Iudæi non potuerunt omnia exemplaria hebraica corrumpere, etiamsi id quam maximè voluissent, cum pleraque in manibus Christianorum fuerint. Hinc sequitur, quod si neque ante, neq; post ętatem Christi corrupta fuerit editio hebraica, non fuisse corruptam omninò. At fortè dicent post Augustini & Hieronymi tempora à Iudęis corruptam fuisse? Respondeo, Quibus quæso in locis? an in illis quinque quę Bellarminus in medium attulit? At iam ostendimus tempore Hieronymi & ante Hieronymum ea sic lecta fuisse, vt leguntur hodierno die. Ergo maneat hebraica editio omni ex parte pura, ac proinde sola veteris Testamenti editio authentica.

De

De editione græca Novi Testamenti.

CAP. 19.

CVM plures sint novi Testamenti editiones, nos ex omnibus dicimus authenticam esse græcam, id quod hoc initio sumpto demonstrabimus. 1. In adventu Christi & tempore Apostolorum inter linguas Gentium græca fuit præstantissima. 2. Vt præstantissima, ita celeberrima & vulgatissima: nam etsi tum longissimè patuerit Romanum imperium, non tamen longissimè patuit lingua Romana, hoc est, Latina, teste Cicerone in oratione pro Archia Poeta. 3. Græca lingua conscripta est Ididolatria Gentium, & tota philosophia Græcorum. His rationibus aliisque prærogativis adductus Dominus, quo tempore visum est ei Evangelium suum ex angustijs Iudeæ in campum latiorem educere; his, inquam, rationibus ac prærogativis adductus, voluit Evangelium suum græcè scribi potissimùm.

Scriptores autem erant partim Apostoli, partim Evangelistæ, qui omnes græcè primùm scripserunt, si fortè Matthæum excipias, & Scriptorem Epistolæ ad Hebræos: nam de Matthæo, vt dicam primũ, Athanasius in Synopsi sua testatur eum primũ hebraicè scrip-

sisse: idem dicit Irenęus lib. 3. idem Nazianzenus in carmine: idem Hieronymus in præfatione in 4. Evangelistas ad Damasum. Hieronymus in Catalogo in Matthęo scripsit sua ætate editionem hebraicam asservari in bibliotheca Cæsarienſi, quam Pamphilus Martyr exstruxerat. Athanasius dicit hebraicam Matthęi editionem græcè redditam à Iacobo Apostolo, alij Iohanni Apostolo, alij ipsi Matthęo versionem tribuunt. Hæc sententia est Patrum, quæ non satis firmis præsidijs munita est: Nam quo tempore vixit Christus cum Apostolis suis Iudęi omnes loquuti sunt Syriacè, hoc est, lingua confusa, & mixta ex Hebraica & Chaldaica. Ergo si voluisset Matthęus alia lingua quàm Græca scribere, scripsisset Syriacè potissimùm: in qua sententia sunt etiam Papistę quidam nostri temporis. Quamobrem incertum est an Hebraicè, an Syriacè, an Græcè primùm scripserit Matthęus: Probabile tamen magis est eum græcè primùm scripsisse, cum ea lingua & Iudæis non fuerit incognita, & alij Apostoli ea primùm scripserint, non solùm omnibus promiscuè Iudæis & Gentibus, sed etiam Iudæis peculiariter. Vtut est, græca Matthæi editio, quam habemus in manibus, authentica est, vtpote vi-

ventibus

ventibus adhuc Apostolis & scripta & comprobata: Nam quod ad editionem hebraicam, si quæ fuit ea, nunc nusquam est. Et hoc exemplar hebraicum quod vulgò habetur, genuinum non est.

De Epistola ad Hebræos Hieronymus in Catalogo, in Paulo, testatur primùm hebraicè scriptam, deinde versam græcè vel à Barnaba, vel à Luca, vel à Clemente: sed incerta est res, & magis probabile est eam Epistolam jam primùm græcè scriptam esse. Vtut est hæc græca quam habemus editio hujus Epistolæ authentica est.

Iam Novum Testamentum græcè scriptum ab Apostolis & Evangelistis, admirabili Dei providentia conservatum est, etiam in medijs persequutionibus & hæresibus ad nostra vsque tempora, & omni ætate à viris pijs & orthodoxis, à depravatione hæreticorum vindicata; adeò vt puriſſima venerit in manus nostras. His positis sic paucis argumentor. Ea editio Novi Testamenti quæ scripta est lingua omnium præstantissima, & primùm ac originaliter scripta ea lingua, vtpote græca, & omnium ætate in puritate est conservata, ea, inquam, pro authentica haberi debet ab omnibus. At talis est ista græca Novi Testa-

menti editio: Ergo.

Adversarij excipiunt tantùm adversus puritatem: Nam etsi ex ijs recentiores & doctiores, vt Bellarminus, non dicant omninò corruptam esse editionem Novi Testamenti græcam, vt alij sunt calumniati, tamen sic puram fatentur, vt authentica esse non possit, cum aliquot in locis sit corrupta. Bellarminus nominatim septem in medium affert loca, quibus conatur ostendere corruptã esse, ac proinde non authenticam, hanc editionẽ græcam.

Primus est. *1. Cor. 15. 47.* ὁ πρωτος ἀνθρωπος ἐκ γης χοϊκος, ὁ δευτερος ἀνθρωπος ὁ κυριος ἐξ οὐρανου. *Primus homo ex terra terrenus, secundus homo Dominus è cælo.* At in Latina vulgata legitur, *secundus è cælo cælestis*, quæ lectio est approbata: Ergo græca editio corrupta est & non authentica. Respondeo. 1. Etsi sic legatur vt in græca editione legitur, sensus tamen bonus & orthodoxus, & idem cum eo qui est ex altera lectione, tantùm verbo, non re ipsa differens. 2. Arabica & Syra versio sic legunt. 3. Patres, Chrysostomus, Theophylactus, sic legunt. 4. Epiphanius Hæresion. 22. 2. vbi recenset omnia loca quæ corrupit Marcion, non ibi meminit hujus loci. At, inquit, testatur Tertullianus lib. 5. contra Marcionem

hunc

hunc locum à Marcione corruptum ac vitiatum esse? Respondeo eo libro ac loco planè similiter atque nos legit Tertullianus hunc locum: *Dominus è cælo*, præcedentem quendam vt corruptum obseruat.

Secundus locus est, *1. Cor. 7. 33.* ὁ δὲ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί, καὶ μεμέρισται· καὶ ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος, ἡ ἀγαμος μεριμνᾷ &c. *Qui vxorẽ duxit curat quæ sunt huius mundi, quomodò placeat vxori. Discretæ sunt vxor & virgo: Innupta curat: &c.* Hæc lectio est græca. Verùm in vulgata sic legitur: *Qui autem cum vxore est solicitus est quæ sunt mundi, quomodò placeat vxori & diuisus est: At mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt & corpore & spiritu.* Ergo hîc editio græca est corrupta: Quare non authentica. Resp. Primò sensum qui est ex græca lectione, non modò orthodoxum, sed illo qui est ex lectione quam approbat vulgata editio concinniorem esse. 2. Syra versio sic legit. 3. Theophylactus, Græca Scholia, Basilius, sic legunt. At, inquit, Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum scribit hãc lectionem non esse Apostolicæ veritatis? At idem Hieronymus contra Helvidium & Eustochium sic legit hunc locũ vt nos legimus. Quare cum variet sententiam non est testis satis idoneus.

Tertius locus est, *Rom. 12. 11.* τῷ καιρῷ ἐξαγοραζόμενοι: at Vetus Latina legit τῷ Κυρίῳ: Ergo. Resp. 1. Etsi sic legatur, sensum esse verum & orthodoxum. 2. Varia est lectio in varijs codicibus græcis, teste interprete Origenis, qui legit Κυρίῳ: Admonet interea in nonnullis libris lectum fuisse καιρῷ; teste etiam Ambrosio, qui legit καιρῷ, *Tempori servientes*: Testatur interea in aliquibus libris lectum fuisse Κυρίῳ. 3. Syra versio, Chrysostomus, Theophylactus, Basilius, legunt Κυρίῳ, quam etiam lectionem nos magis approbamus: Ideò Beza noster vertit *Domino*.

Quartus locus est *Iohan. 8.* vbi capitis principio in multis græcis libris desideratur tota illa historia Adulteræ, quam vulgata editio habet, & Ecclesia approbat vt Canonicam. Resp. 1. Græcos nostros codices, quos nos pro authenticis habemus, habere hanc historiam, & Ecclesiam nostram eandem recipere. 2. Non tamen dissimulandum est huic fuisse contradictum, & Syra versio non habet eam.

Quintus locus est, *Marc. 16.* vbi in multis græcis codicibus totum illud caput desideratur, quod in vulgata editione habetur: Ergo. Resp. 1. Et omnes Græcos nostros libros quos nos authenticos ducimus, hoc caput habere,

habere, & Ecclesias nostras ipsum recipere tanquam Canonicum. 2. Hieronymus alicubi movit suspitionem de eo, sed frustrà.

Sextus locus est, *1. Iohan. 7.* vbi versus septimus, qui præclarum de Trinitate continet testimonium, desideratur in multis græcis codicibus, cum habeatur ille versus in vulgata editione: Ergo. Resp. 1. nostri libri græci, quos nos pro authenticis habemus, hunc versum continent, & nostra Ecclesia recipit. 2. non est dissimulandum tamē huic fuisse contradictum.

Septimus locus est, *Math. 6. 13.* ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεια, &c. *Quia tuum est regnum, potentia, & gloria in secula, Amen.* At hic locus non habetur in vulgata editione: Ergo. Respondet Valla hunc locum non adjectum græco, sed detractum latino: et quid quęso vel hęreticum, vel non orthodoxum habet hic locus? Ex his sequitur non probare ex his locis Aduersarios græcam Noui Testamenti editionem corruptam esse, ac proinde non authenticam. Maneat ergo, vt hebraica Veteris, ita græca Noui Testamenti editio, sola authentica.

De

De versionibus Veteris Testamenti.

CAP. 20.

NVnc de versionibus Veteris & Novi Testamenti dicendum: ac primùm de versionibus Veteris Testamenti. Vetus Testamentum primùm hebraicè scriptum, posteà versum est in varias linguas, imprimis Chaldaicam & Græcam. De Chaldaica versione dicemus primùm: deinde de Græca: Ac de Chaldaica dicemus 1. qualis sit versio Chaldaica. 2. à quibus facta. 3. cujus sit authoritatis. Quod ad primum. Chaldaica versio paraphrastica est, non ad verbum facta. Paraphrasin ipsi Targum vocant. Quod ad secundum, Pentatenchon vertit R. Aquila, qui Onkelos dictus est ab ijs: Reliquos libros veteris Testamenti verterunt, partim R. Ionathan, partim R. Ioseph cæcus. Hi paulò ante Christum vel circa Christi tempora vixerunt. Quod ad tertium Chaldaica paraphrasis apud veteres magnæ fuit & celebritatis & authoritatis: imprimis verò illa Pentatenchi: nam quod ad reliquam paraphrasin Cardinalis quidam Ximenius in præfatione in Biblia Complutensia, testis est eam Iudaicis fabulis, et Thalmudistarũ nugis conspersã esse. Atque hæc paucis de paraphrasi Chaldaica.

Nunc

Nunc de græca versione Veteris Testamenti agendum. Græca versio veteris Testamenti varia fuit. Quidam versiones græcas novem numerant. Inter eas & prima & celeberrima fuit ea quam septuaginta duo seniores jussu Ptolemei Philadelphi fecerunt: nam quod Clemens Alexandrinus libro primo Stromatum scribat, multò antè Scripturam græcè versam, & à Platone lectam fuisse, non est probabile. Neque enim vel Plato, vel Pythagorici sacras literas vnquam viderunt. De versione itaque ista Septuaginta interpretum dicemus: quæ autem dicemus revocabimus doctrinæ gratia ad certas aliquot quæstiones, nempè, sex numero: Prima est, An fuerit versio græca facta à Septuaginta duobus interpretibus. 2. Si fuerit, quando facta. 3. Quorum librorum fuerit. 4. Quomodò facta. 5. Quanta ejus authoritas. 6. An hæc sit germana versio Septuaginta duorum interpretum quam nos habemus in manibus.

Quod ad quæstionem primam, facilis est responsio: Non enim dubium est quin versio græca facta fuerit à Septuaginta duobus interpretibus, cum id tota antiquitas testetur. Testes sunt Epiphanius in libro de mensuris & ponderibus, Eusebius de Præparatione Evangelica,

uangelica, Iustinus Martyr in dialogo cum Tryphone, alijque multi.

Quod ad quæstionem secundam, facilis quoque ad eam est responsio: Nam regnante Ptolemæo Philadelpho, eoq; jubente, factam esse versionem illam græcam testãtur omnes: Iosephus, Philo, Athanasius in Synopsi, Epiphanius, Tertullianus, Aristæus in historia sua de hac ipsa re, alijque multi.

Quod ad tertiam quæstionẽ de libris versis, responsio non tam facilis est: quidam enim ab ijs versam esse legem duntaxat arbitrantur; Legem autem intelligunt Pentateuchon. In hac sententia fuit Iosephus in proœmio Antiquitatũ, Hieronymus videtur quoque eò propendere. Alij vniversam Scripturam ab ijs versam esse testantur: atque hæc sententia verior est: primùm enim Ptolemeus Rex non fuisset contentus sola versione Pentateuchi 2. Apostoli Christi vsi sunt versione græca in citandis testimonijs ex Prophetis: At temporibus Apostolorum non fuit alia versio quàm Septuaginta. 3. Nullum fuisset miraculum in celeritate hujus versionis, si tantũ Pentateuchon fuisset versum, quemnemodè fuit septuaginta duorum dierum spatio absoluta: Tradunt enim versionem hanc miracu-

miraculosam fuisse. 4. Testes hujus rei sunt ex Patribus, vt Chrysostomus, Theodoretus. Quare verior est hæc sententia, totius veteris Scripturæ versionem ab ijs factam esse.

Quòd ad quæstionem de modo versionis, hunc fuisse modum narrat; Septuaginta duo senes ex tribubus Israel vtriusque linguæ hebraicæ & græcæ peritissimi, jussu Ptolemæi Philadelphi, miraculosa celeritate, nempè 72. dierum spatio, admirabili consensione, ad Phanum Ægypti, versionem hanc absolverunt: Alij singulos seorsim sedibus disclusos, alij binos, alij omnes confertim considentes vno loco, & operas conferentes; versionem hanc confeciſſe tradunt. Miraculosam igitur fuisse versionem narrant, sed miracula hæc quæ dicunt fuisse ad amplificandam hujus versionis authoritatem, fidem non habent.

Quod ad quæstionem quintã, de authoritate hujus versionis, ad eam variè respondet: Nam quidam plus æquo huic tribuunt. Epiphanius in libro de mensuris & ponderibus, non interpretes tantùm dicit fuisse, sed propè Prophetas. Augustinus nimius est in laude hujus interpretationis, divina dispensatione factam dicit, θεοπνευστον putat. Alij non tantum ei tribuunt: Hieronymus in præfatione

in

in Pentatenchon interpretes eos non vates fuisse dicit contra Epiphaniũ. Idem in commentarijs sæpè eam reprehendit non tantùm vt corruptam, sed in se vitiosam, quod profectò non fecisset si θεοπνευστον putasset. Quantacunque sit ejus authoritas, profectò non est alia quam interpretationis: neque θεοπνευστον aut Scripturæ parem eam fatemur.

Quod ad quæstionem sextam, quidam putant supereſſe adhuc veterem illam versionem Septuaginta; sed corruptam adeò & vitiatam, vt non sit tutum codices vel hebraicos vel latinos ex ea emendare. Bellarminus ita sentit. Alij interijsse putant veterem illam versionem 72. interpretum: hanc autẽ quam nos habemus mixtam esse, corruptam ac vitiatam. Corruptam esse ac vitiatam inductione quadã facta locorum corruptorum ostendunt. Primò, liber Græcus annos à mundo condito ad diluvium numerat 2242. vt apud Augustinum, Eusebium, & Nicephorum in Chronologia legitur: Hebraica autem veritas non plures numerat quam 1656. Ergo numerum Hebraicum Græcus superat annis 586. Secundò, à diluvio ad Abrahamum juxta 72. interpretes anni sunt 1082. Sin veritatem hebraicam consulas, non sunt plures quã

292.

292. Ita sunt in Græco codice 790. anni plures quam in Hebraico. Tertiò in Græco codice Adam dicitur vixisse annos 230. in nonnullis exemplaribus. 330. cum Sethum genuisset: Hebræus verò codex testatur Sethum esse genitum cum Adamus 130. annos vixisset. Quartò in græco codice Methusalem vixit annos 14. post diluvium, quod ridiculum est: nam vbi vixit? & vbi conservatus est ab aquis? An in arca? At octo tantùm animæ ingressæ sunt arcam, in quibus non numeratur Methusalem. Hebræus liber longè veriùs de annis ac ætate Methusalem scripsit. Vnde illum esse eodem anno mortuum quo tota terra diluvio oppressa est colligimus, anno nempe mundi 1656. Quintò in Iona græcus codex post tertium diem exitium Ninivitis denunciat: *Adhuc tres dies & Ninive destruetur.* At in Hebræo libro exitium Ninivitis non nisi post 40. dies denunciatur. *Adhuc quadraginta dies & Ninive destruetur.* Ex his videmus magnum esse discrimen inter numeros græcos & hebræos: Omnes autem fatentur numeros hebraicos veros esse. Augustinus libro de civitate Dei 18. in hac numerorum mutatione nescio quid mysterij confinxit, vt authoritatem interpretationis 72. tueretur,

quam

quam tamen in loco de Methusalem defendere non potuit. Hieronymus autem magis candidè & apertè à Septuaginta in numeris erratum esse scripsit. Ex his alijsque infinitis locis vitiosis, concludimus non esse hanc, quã habemus versionem græcam, illam quam fecerunt 72. senes Iudęi; vel si sit, ita fœdatam esse vt nunc perexiguæ sit authoritatis.

Hactenus de editione græca 72. interpretum, nunc de alijs versionibus græcis, quæ factæ fuerunt postquàm jam Evangelium longè latèq; per orbem terrarum esset diffusum. Octo autem numerantur. Prima fuit Aquilæ cujusdam Synopensis, imperante Adriano facta, vt testis est Epiphanius. Hic Aquila primùm gentilis fuit; deinde ad Christianos transivit, & baptizatus est: Postremò cum propter nimium Iudiciariæ Astrologiæ studium reprehensus esset, tandemque ejectus ex Ecclesia, ad Iudæos descivit; apud Iudæos dum ageret linguam literasque hebręas didicit, & Scripturam veteris Testamenti ex hebræo in græcum transtulit: sed animo pravo perversoque, vt testis est Theodoretus, quò nimirum testimonia quæ doctrinam Christi confirmant obscuraret, & apostasiæ suæ fucum faceret.

Post

Post hanc Aquilæ versionem, fuit versio Theodotionis cujusdam, imperante Commodo; vt idem Epiphanius testis est. Hic homo Ponticus fuit, ex secta Marcionis hæretici, postmodùm secta sua improbata, omninòque Religione Christiana abjurata, ad Iudæos defecit, linguam Hebraicam didicit, Scripturam veteris Testamenti ex hebræo in græcum transtulit; sed perverso animo & fide mala, teste eodem Theodoreto, ad confutationem sectæ suæ.

Post versionem Theodotionis fuit versio græca Symmachi cujusdam, imperante Severo Augusto, vt testis est Epiphanius: hic Samaritanus fuit genere, & cum principatum apud suos non obtineret, Iudæis se adjunxit, & secundò circumcisus est; quo autem modo id fieri potuerit idem Epiphanius docet ex *1. Cor. 7.* nempè, attracto præputio post primam Circumcisionem, vt esset secundæ Circumcisionis materia. Hic Scripturam veteris Testamenti ex hebræo in græcum transtulit, sed mala fide, teste Theodoreto, in confutationem nimirum Samaritanorum Gentilium suorum.

Post hanc versionem Symmachi fuerunt aliæ duæ ἀνώνυμοι, quarum authores non nominantur,

minantur: prior fuit inventa apud Hiericho in dolijs sub Imperatore Caracalla. Posterior reperta est apud Nicopolin Aquilonarem sub Imperatore Alexandro Mammæę filio; Testes Epiphanius, Theodoretus, & alij.

Post hos fuit Origenes, qui vixit AN. 261. sub Valeriano & Galieno princip. Origenes in aliorum qui ante ipsum fuerunt versionibus conferendis comparandisq; incredibiliter elaboravit. Nam versiones quatuor, nempè 1. Aquilæ. 2. Symmachi. 3. Septuaginta. 4. Theodotionis, in vnum volumen compegit, & quatuor columnis distinxit; & hæc erant Origenis τετραπλα. Deinde ad has quatuor columnas adjecit seriem hebraici textus duplicem, vnam hebraicis, alterā græcis characteribus exaratam, & hæc erant Origenis ἑξαπλα. Postremò ad has columnas sex adjunxit ἀνωνυμους illas quas diximus editiones, & hæc erant Origenis ὀκταπλα, opus laboriosum, divivum, & maximo Eccleśię malo amissum. Origenes in libris suis notavit ἀστερισκους, ὀβελους λημνισκους, & ὑπολημνισκους, prout editionum varia ac multiplex ratio postulabat. Amissionem hujus operis quidam vir pius & doctus deflevit in hæc verba. Cujus, inquit, operis jacturā deplorare possumus, compen-

sare

ſare non poſſumus.

Poſt Origenem fuit Luciani cujuſdã verſio circa tempora Diocletiani. Hic fuit Eccleſiæ Antiochenæ Presbyter & Martyr: hujus editionis, vt ſcriptum legimus, exemplar ipſius Martyris manu exaratum inventum fuit Nicomediæ in arce quadam marmorea. Hieronymus in Catalogo ſcribit ipſius ætate fuiſſe exemplaria græca quæ Lucianea ſunt appellata.

Denique poſt hanc Luciani verſionem fuit editio Heſychij cujuſdam qui interpretationem 72. interpretum emendavit, & Eccleſijs Ægypti tradidit. Atq; hæc hactenus de octo verſionibus græcis quæ poſt Chriſtum extiterunt, quæ omnes perierunt; niſi quod Papiſtæ Theodotionis quædam retineant. *Dan. 13. & 14. cap.* et fragmentum impij Theodotionis, hęretici primùm, deinde apoſtatæ, pro Canonica Scriptura hodierno die venditant. Nam quod ad græcam hanc quæ extat editionem Veteris Teſtamenti, ea ex illis veteribus nulla pura eſt, ſed mixta & corrupta, vt ſuprà obſervavimus. Atque hæc de verſionibus veteris Teſtamenti, primùm Chaldæa paraphraſtica: deinde græcis varijs.

De versione Noui Testamenti Syra.

CAP. 21.

NVnc veniendum ad versionem novi Testamenti. Novum Testamētum primùm græcè conscriptum, versum est in Syram linguam, quæ ętate Christi & Apostolorum Iudęis popularis & vernacula fuit, tum propter diuturnam captivitatem Babylonicam, tum propter Assyriorum in Iudæam trāslationem. Syræ versionis quis author fuerit incertum est, quo etiam tempore facta non cognitum: Tremellius veritati prorsus consętaneum putat hanc versionem factam circa initia Ecclesiæ Christianæ, idque ab Apostolis vel Apostolorum discipulis. Venerandam ejus antiquitatem idem probat. 1. ex linguæ elegantia. 2. ex defectu certorum librorum & locorum novi Testamenti, qui reperitur in Syra versione, vt 2. Petri, Iohannis 2. & 3. Iacobi Epistolæ, Iudæ Epistolæ, Apocalypsis, historiæ adulterę, quæ reperitur in initio capitis 8. Evangelij Iohannis. Ex hoc defectu colligit, quòd cum Syra versio fuerit ante hos libros receptos ab Ecclesia pro Canonicis, Syra versio antiqua admodum fuerit. Fidelitatem Syræ versionis summam dicit sese conferendo linguam Syram cum lingua græca & origi-

nali

nali expertum esse, quam quidem experientiam alijs quibuscunq; visum erit has linguas inter se conferre permittit. Ex his sequitur Syram versionem & fuisse olim,& nunc esse, magnæ in Ecclesia authoritatis. Hactenus de veteris Testamenti Chaldaica & græcis versionibus varijs, & de novi Testamenti Syra.

De Latinis versionibus vtriusque Testamenti.

CAP. 22.

NVnc de Latinis versionibus vtriusque & veteris & novi Testamenti dicemus. Latinæ versiones Bibliorum valdè multæ fuerunt. Testis Augustinus de doctrina Christiana, lib. 2. cap. 11. Hieronymus in procœmio in lib. Iosuæ, de tam varia ac multiplici versione latina conqueritur. Ex versionibus Latinis prima fuit Itala quędam: hanc Augustinus omnibus aliis anteponit, vt & verbis adstrictiorem, & sententijs magis perspicuam, lib. 2. de doctrina Christiana cap 15. Hæc non fuit illa Hieronymi versio: nam hanc illa Hieronymi versione multò antiquiorem fuisse constat. Quo autem authore sit facta non est cognitum.

Post hanc Italam fuit versio Hieronymi: eam duplicem fuisse scribunt veteris Testa-

menti, priorem ex græca editione 72. interpretum in latinum, posteriorem ex hebræa veritate in latinum facta. Nam, quod ad novum Testamentum, Hieronymus dicitur non ipsum vertisse in latinum, sed veterem latinam emendasse: Testis est ipse Hieronymus pluribus in locis. Hæc Hieronymi editio cum primùm prodijt, mox cœpit recipi in Ecclesia, & publicè lectitari (Augustinus Epistola 10. ad Hieronymum scripta) Ita tamen vt non contemneretur vetus illa Itala: Nam teste Gregorio duæ hæ versiones, vetus illa Itala, & hæc Hieronymi nova, in Ecclesijs Latinis celeberrimæ fuerunt, & maximè vsitatæ. Tandem omnes illæ versiones latinæ obscuriores ex manibus hominum effluxerunt, etiam illa Itala intercidit; reliqua fuit sola Hieronymi versio, si modò hæc sit meritò dicenda Hieronymi versio, quam nos in manibus habemus, & quæ hodierno die circumfertur ipsius nomine: nam docti de eo magnoperè ambigunt. Nunc itaque de hac, quæ vulgò dicitur, Hieronymi versione nobis est dicendum. Duo autem in vniversum de ea quæremus. Primum, quo authore sit facta: Secundum, quanta sit ejus authoritas.

De authore hujus versionis latinæ variæ sunt

sunt hominum sentētiæ: quidam tenent eam Hieronymi esse, et eam quidem puram & non mixtam: Ita sentiunt ferè qui nunc sunt Papistæ, præsertim Iesuitæ. Alij non esse Hieronymi scribunt, vt Sanctes Pagninus in præfatione in interpretationem suam Bibliorum ad Clementem. 7. Pontificem, Paulus Forosempronianus Episcopus, vt de Erasmo, Munstero, & alijs etiam pontificijs hominibus taceam. Alij Hieronymi quidem esse putarūnt, sed non puram: In hac sententia fuit Ioan. Driedo, Sixtus Senensis; Bellarminus non valdè videtur ab ea recedere, vt ex ipsius propositionibus & rationibus de hac re facilè potest colligi. Nos non esse Hieronymi, neque puram, neque mixtam affirmamus, idq; hoc argumento demonstrabimus.

Hieronymus accuratè transtulit vetus Testamentum ex hebræo in latinum: At hæc vulgata editio non est accurata: Ergo non est Hieronymi. Propositio probatur. Hieronymus ipse multis in locis testatur versionem suam accuratam fuisse, vt præfatione in Pentateuchon, præfatione in libros Regum, præfatione in Psalterium ad Sophronium, quibus in locis testatur se nihil de hebræa veritate mutasse, & ad hebræos provocat qui testen-

tur de fidelitate versionis suæ. Augustinus de Civitate Dei. lib. 18. cap 43. scribit Hebræos ipsos fateri Hieronymi versionem veracem esse. Hispalensis Isidorus lib. 6. Etymol. cap. 5. versionem Hieronymi omnibus alijs præfert, vtpote & verborum tenaciorem, & sententiæ perspicuitate clariorem. Ergo, si istis credimus, Hieronymi versio accurata fuit. De propositione igitur hactenus, nunc ad assumptionem venianus. At vulgata editio latina non est accurata, neque consentit cum hebræo fonte, imò adeò dissentit ab eo, vt necesse sit alterutrum esse, vel hanc versionem latinam corruptissimam esse, vel hebræum fontem perturbatissimum; quod posterius non affirmat ipse Bellarminus, imò eos reprehendit qui id asseverant: & meritò. Restat itaque vt summam istam dissensionem ostendamus. Id autem alia ratione fieri non potest nisi collatione facta vulgatæ hujus versionis cum hebræo fonte. Comparatio facienda est initio sumpto à libro Geneseos. Comparatio autem erit non omnium locorum dissentientium, cum infinita sunt, sed certorum aliquot selectorum, ex quibus facile erit conjecturam facere de reliquis. Vitia autem quæ conspicientur ex hac comparatione, non erunt vnius

generis,

generis, sed partim erunt propter immutationem, partim propter defectum, partim denique propter redundantiam. His enim modis omnibus vitiata est editio vulgata latina. Meo judicio nō aliunde meliùs discetur hęc comparatio, quàm ex vulgata editione Latina emendata per Iohannem Benedictum theologum Parisiensem, ad quam nos, brevitatis studiosi, lectorem remittimus. Ex comparatione ista facta, videbis vna eademque opera, & non esse Hieronymi, & non esse authenticam vulgatam hanc versionem latinam, vt non sit opus laborare in altera illa quæstione tractanda.

De versionibus vernaculis.

CAP. 23.

NVnc restat vt dicamus de editionibus, siue versionibus vernaculis. Vernaculas voco eas, quæ factæ sunt in linguas vulgares & plebeias, vt sunt Germanica, Italica, Gallica, Anglica, Scotica, Hispanica, &c. De vernaculis versionibus tria quęremus. 1. An liceat Scripturas sacras vertere in linguas vernaculas. 2. An in linguis vernaculis sacra publica sunt peragenda. 3. An populo sit permittenda lectio Scripturarum jam versarum in linguas vernaculas.

Ad

Ad primam quæstionem respondemus nos, licere quidem atque etiam expediens esse. Id aliquot argumentis demonstrabimus. Argumentum 1. Sacræ Scripturæ coram toto populo legendæ sunt: Ergo vertendæ in linguas vernaculas: secus enim sine fructu legerentur in Ecclesia. Probatur antecedens. *Deut. 31.* præcipit Dominus vt legantur libri Mosis omnibus promiscuè, viris, fœminis, parvulis, peregrinis. *Ierem. 36.* mandat Propheta Barucho Scribæ vt librum ex ipsius ore exceptum legat corã toto populo. At dicet aliquis, præceptum hoc non fuit perpetuum, verùm temporarium? R. Imò perpetuum esse indicat finis, qui subjectus est præcepto. *Deut. 31.* Vt populus audiat, discat, timeatq; Iehovam. Finis hic perpetuus: quare lex perpetua: præsertim cum lectio Scripturarum sit ordinarium & necessarium medium, quo assequimur propositum hunc finem. Sic probato antecedente sequitur Scripturas esse vertendas in linguas vernaculas.

Argumentum 2. Lectio Scripturarum populo est permittenda: Ergo Scripturæ vertendæ in linguas vernaculas; secus enim non possent legi à populo. Probatur antecedens. Scripturę sacrę suppeditant arma quibus muniendus

niendus est populus adversus Satanam exemplo Christi *Mat.4.* qui non alijs armis quàm Scripturæ testimonijs Satanam repulit. *Iohan. 5.* Christus turbæ præcipit vt scrutétur Scripturas. *Act. 17.* laudantur Beroœenses, quòd scrutati sint Scripturas vt viderent an ita se haberent, quæ dixerunt Apostoli. Sed fusiorem de hoc antecedente disputationem remittimus ad explicationem quęstionis tertię.

Argumentum 3. Papistæ quidem concedunt legendas Scripturas coram populo, sed contendunt id oportere fieri ignota lingua. Sic igitur argumentor, si ignota & peregrina lingua legantur Scripturæ coram populo id fiet sine fructu & ędificatione: Ergo vertendę Scripturæ in linguas vernaculas. Antecedens probatur. *1. Cor.14.* Si veniam ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, quasi dixisset, nihil. Et pòst eodem capite. Malo quinque verba loqui ex intelligentia mea, vt alios instituam, quam decem millia verborum ἐν γλώσσῃ, in lingua, scilicet, ignota. Sed de hac re etiam pòst pluribus erit agendum.

Argumentum 4. In populo Dei requiritur sapientia, scientia, eruditio: Ergo legendæ Scripturæ: Ergo vertendæ in linguas vernaculas. Probatur antecedens *Deut. 4.* vult Dominus

Dominus populum suum intelligentem & eruditum, adeò vt exteræ gentes de eo audientes admirentur, & dicant: Ecce populus sciens & intelligens, gens magna. Apostolus ad *Coloss. 3.* vult sermonem Christi inhabitare in ijs πλουσίως, copiosè & opulenter. In Epistolis suis Paulus passim vult eos ad quos scribit impleri omni cognitione. Multa disputant adversarij adversus hanc popularem intelligentiam.

Argumentum 5. Christus, cum ageret inter Iudæos, lingua vernacula loquutus est & prædicavit: Apostoli Christi etiam lingua vernacula annunciarûnt Evangelium, vt in die Pentecostes & post: & ob eam ipsam causam, quòd possent loqui singulis nationibus & populis in linguis vernaculis & popularibus, datum est ijs illud donum linguarum. Hoc posito sic argumentor. Si annunciare Evangelium linguis vernaculis non fuit ipsum profanare, aut contaminare, pari ratione scribere Evangelium linguis vernaculis non est Evangelium contaminare aut profanare: nam par ratio est.

Argumentum 6. est ex vsu perpetuo & proxi totius Ecclesiæ veteris. Nam tempore Ecclesiæ veteris Scriptura sacra in linguas pe-

nè

nè omnes est transfusa, verbi gratia Chaldaicam, Syram, Arabicam, Armenicam, Ægyptiacam, Æthiopicam, Indicam, Persicam, Scythicam, Sauromaticam. Testes hujus rei multi sunt: Chrysostomus homilia 1. in Iohannem. Theodoretus de corrigendis Græcorum affectibus. lib. 5. Augustinus de doctrina Christiana. lib. 2. cap. 5. Extant etiamnum hodierno die Chaldaica, Syra, Arabica, Ægyptiaca, Æthiopica, versiones, quas omnes docti affirmant factas esse Apostolorum temporibus. Chrysostomus vertit Scripturam sacram in linguam Armenicam, teste Sixto Senense. Hieronymus vertit eam in linguam Dalmaticam, teste Alphonso à Castro, item Eccio, Hosio, Erasmo. Methodius vertit eam in linguam Sclavonicam, teste Aventino in annalib. suis. Vlphilas Gotthorũ Episcopus vertit eam in linguã Gotthicam, teste Socrate in Tripartita historia sua. Augustinus de civitate Dei, lib. 15. scribit vetus Testamentum versum fuisse in linguam Syram. Hardingus adversus Iovellum, & Eccius scribunt Russos & Moscovitas legisse Scripturã sacrã in linguas suas vernaculas versam. Anglicana historia habet versionem Scripturarum factam in linguam Anglicam ante Bedam. Be

da ipse scribit aliquam novi Testamenti partem à se versam fuisse. Hactenus de praxi veteris Ecclesiæ, ex qua, vt ex alijs superioribus argumentis, sequitur Scripturam sacram vertendam esse in linguas vernaculas.

Nunc quid ad propositam quæstionem respondeant Papistæ videbimus. Ante annos aliquot negarûnt simpliciter Scripturam sacram vertendam in linguas vernaculas, Petrus Asoto de horis Canonicis, Censura Coloniensis, Hardingus, cujus paulò antè meminimus scribit aliquos esse qui judicant Scripturam sacram non esse vertendam in linguas vernaculas & plebeias. Hinc factum vt qui verterunt à Papa sint proscripti & condemnati: ipsi libri versi prohibiti & exusti: cum autem viderent hoc omnibus odiosum esse, mutarûnt sententiam, ac nunc dicunt licere quidem vertere Scripturam sacrã in linguas vernaculas, ita tamen si hoc à Papa sit permissum. Atq; hoc, etsi verbis aliud videatur esse, tamen reipsa idem est. Papa enim nemini hoc permittet, nisi ei qui volet omnes mendas quotquot reperiuntur in vulgata versione latina transfundere in versiones vernaculas, & ad posteros transmittere. Hæc sententia est Bellarmini, hæc Rhemensium est sententia.

Nos

Nos autem contrà affirmamus licere cuique pio, docto, linguarum perito, translationem facere, etiamsi non permittat Papa, etiamsi Papa contradicat, & licere Ecclesiæ Christi eam translationem post examinationem recipere, etiamsi non intercedat Papa sua authoritate. Nam tempore veteris Ecclesiæ, quo non invaluit Papæ authoritas vel tyrannis potiùs, sine Papa translationes illæ & factæ sunt, & receptæ ab Ecclesijs. Atque hæc de prima hac quæstione hactenus.

Nunc secundo loco quæritur an sacra publica celebranda sint linguis vernaculis & popularibus? Sacra publica appello ea sacra quæ publicè peraguntur in cœtibus Ecclesiasticis. Ejusmodi sunt preces publicæ, lectio Scripturarum, administratio Sacramentorum, cantiones Psalmorum, &c. hæc vocantur divina officia, θειαι λειτουργιαι. Nunc ad quæstionem respondemus, nos quidem affirmatè; peragenda esse sacra publica linguis vernaculis. Argumentum primum ex *1. Cor. 14.* vbi à versu 6. ad versum 23, Apostolus docet nihil esse agendum in Ecclesia linguis ignotis & peregrinis.

At Bellarminus excipit illo capite agi de collatione & exhortatione potissimùm, quæ in ve-

in veteri Ecclesia sequebatur administrationem sacrorum publicorum, ad eamque rem citat ex Iustino Martyre *Apolog. 2.* morem veteris Ecclesiæ. Conueniebant Christiani diebus Dominicis, & primùm legebantur Scripturæ: deinde fiebat concio ab Antistite: tum celebrabantur mysteria: postremò, inter se de rebus diuinis sermones miscebant. Respondeo, hîc agi ab Apostolo in genere de omnibus officijs Ecclesiasticis, idque hoc ordine; primùm est generalis doctrina à versu 6. ad versum 14: deinde est specialis de precib. concipiendis, cantionibus canendis, lingua non ignota, sed nota & vernacula, ad versum 19: posteà redit ad generalem doctrinam.

Bellarminus rursus excipit Paulum agere de cantionibus quas in collatione ij canebant qui extra ordinem dono Spiritus sancti erant imbuti. Respondeo: Apostolus distinctè nominat preces & cantiones; deinde de ijs precibus & gratiarum actionibus loquitur, quibus respondebat populus amen; non autem respondebat populus amen, nisi precibus publicis: de publicis ergo precibus hîc agit, quæ concipiebantur in celebrandis sacris publicis.

Excipit Bellarminus: At Corinthi celebrabantur

bantur sacra publica lingua græca & nota populo, id que sciebat Apostolus: Quare non erat opus aliquid præscriberet de sacris publicis. Respondeo, vt detur illud, Corinthi celebrari solita sacra publica lingua nota & vernacula, tamē non sequitur Apostoli doctrinam non esse generalem de quibusvis Ecclesiasticis officijs. Deinde verisimile est fuisse inter Corinthios dono linguarum præditos qui eo dono abusi sunt ad ostentationem, etiam in celebrandis sacris publicis, idque eo capite reprehendit Apostolus. Atque hæc de primo Argumento.

Secundum est ejusdem Apostoli eodem cap. versu. 6. Si veniam ad vos linguis loquens, scilicet, ignotis, quid vobis prodero? Hinc concludo, sacra publica celebranda lingua non ignota, sed nota. Respondet Bellarminus, imò proderit alijs, qui peragit sacra publica lingua ignota: satis enim est si Deus intelligat: idque à simili declarat; Vt, inquit, si quis latinè pro aliquo rustico & linguæ latinæ imperito agat cum Rege, hîc satis est si Rex intelligat, ad hoc vt beneficium perveniat ad rusticum. Resp. Quid aliud est hoc, quā dicere, virtute operis operati sacra publica & ministerium publicum prodesse populo, etiam

am cum ipse sit absque fide, absque notitia. Sed de hoc aliàs.

Tertium Argumentum est ejusdem Apostoli eodem cap. versu. 11. Qui loquitur lingua, scilicet ignota, apud me barbarus fuerit: Ergo sacra publica peragenda sunt lingua nota & vernacula. Respondet Bellarminus, imò qui hebraicè, græcè & latinè loquutus fuerit, etsi non intelligatur, tamen non erit barbarus; quia linguæ illæ barbaræ non sunt: Verùm si alia quavis lingua loquatur barbarus erit. Respondeo, si loquens his ipsis linguis non intelligatur, erit ei qui non intelligit barbarus. Ovidius enim cum in Ponto exularet questus est se latinè loquentem barbarum fuisse apud exteros: Barbarus hic ego sum, quia non intelligor vlli. Anacharsis cum Athenis ei esset objectum quod barbarus esset: Imò inquit, Athenienses mihi sunt barbari.

Quartum Argumentum est ejusdem Apostoli eodem cap. versu 16. Si benedixeris spiritu, ignota scilicet lingua loquens, is qui implet locum idiotæ quomodò respondebit amen ad gratiarum actionem tuam? Ex quo sequitur precandum, omninòque omnia sacra publica peragenda lingua nota & vernacula. Respondet Bellarminus satis esse si aliqui

qui ex populo intelligant, & respondeant amen: Imò satis est, inquit, si Clericus, quem vocant, pro populo respondeat amen. At, inquam, non fuit hic mos veteris illius Ecclesiæ, quæ de Clerico nihil vnquam audivit.

Quintum Argumentum est ejusdem Apostoli eodem cap. versu 40. Omnia decenter fiant & ordine in Ecclesia. At si precetur Minister lingua ignota, populus privatas concipiet preces alias à precibus ministri, atque ita minister suas concipiet, quisque ex populo suas & alias. Quæ autem est ista ταραξις, cum sic divellitur populus inter precandum, qui inter precandum publicè vnas & easdē preces vno animo vnoq; ore Deo offerre debet?

Sextum Argumentū est ex concessis Bellarmini. Fatetur Corinthi celebrari solita sacra publica lingua græca & nota, cur non igitur eadem ratione in omnibus Ecclesijs celebrarentur sacra publica lingua nota & vernacula? Quid hîc respondebit, nisi hoc fortasse quòd celebrata sunt Corinthi sacra publica lingua vernacula, non quia vernacula erat, sed quia græca; ea enim est græcæ linguæ Papistis prærogativa.

Septimum Argumentum est ex concessis quoque Bellarmini. Collationes, vt ipse fatetur,

tur, & exhortationes debent fieri lingua vernacula: cur non pari ratione sacra publica peragenda sunt lingua vernacula & populo nota? Respondet non esse eandem rationem collationum & sacrorum publicorum. Nam, inquit, collationes ad institutionem & consolationem populi pertinent; sacra publica præcipuè ad Dei cultum. Respondeo: an non in sacris publicis totus populus colit Deum, an non igitur oportet Deum colat lingua sibi nota & cognita, si modò fide colat Deum suũ.

Octavum Argumentum est à praxi veteris & purioris Ecclesiæ: Tempore veteris Ecclesiæ versiones tot sunt factæ sacrarum literarum non in alium finem, nisi vt celebrarentur sacra publica, Scripturę legerentur coram populo lingua vernacula & nota. Æneas Syluius libro de origine Bohemorũ scribit Cyrillo & Methodio concessum fuisse vt Moraui lingua vernacula celebrarent sacra publica. Hodierno die Armeni, Æthiopes, Ægyptii, Moscovitæ celebrant sacra publica lingua nota. Respondet Bellarminus hæreticos istos esse. At, inquam, non magis hæretici quàm sunt Papistæ. Equidem quod ad celebrationem sacrorum publicorum attinet, malim in hac hæresi esse cum ijs, quàm cum Papistis, vt

ipsi

ipsi putant, rectè sentire. Atque de sententia nostra hæc hactenus.

Sententia Adversariorum est, quòd sacra publica non sint peragenda linguis vernaculis & notis, sed lingua vel hebraica, vel græca, vt in Orientalibus & Græcis Ecclesijs, vel lingua latina, vt in Latinis & Occidētalibus Ecclesijs. Argumenta ad hoc ostendendum afferunt: primùm ex linguarum prærogativis: Argumentum eorum primum est: Christus titulo crucis suæ honoravit has tres linguas: Ergo sacra publica his linguis peragenda. R. vt valeat antecedens, non sequitur consequens: imò verò contrarium rectiùs infertur, in hunc modum: Dominus voluit causam mortis Christi toti populo innotescere ijs linguis, quæ tum maximè notæ erant, & omnibus cognitæ, quod de græca & latina negari non potest: Ergo sacra publica peragēda sunt linguis vulgatis, & populo non ignotis.

Argumentum secundum. Hæ tres linguæ Hebræa, Græca, & Latina sunt linguæ omnium amplissimæ, antiquissimæ, gravissimæ: Ergo his linguis solis celebranda sacra publica. R. vt jubeam valere antecedens, non sequitur consequens, quia vel donum illud linguarum quod datum est Apostolis die Pentecostes

satis arguit quamcunque linguam, etiam viliſſimam quamque, ſanctificatam ad ſacros vſus, & officia publica atque Eccleſiaſtica.

Argumentum tertium. Scriptura eſt originaliter ſcripta his tribus linguis: Ergo ſacra publica peragenda his ſolis. R. adantecedens, falſum eſt Scripturam, vel aliquam Scripturæ partem, originaliter ſcriptam lingua Latina: Nam quod de Marci Evangelio dicunt, quòd Latinè ſcriptum ſit originaliter, falſum eſt. Sed de hac re aliàs. Deinde reſpondeo, non ſequi ex illo antecedente ſacra publica celebranda linguis ignotis: Quin potiùs contrarium ſequitur: Cum ſcripta ſit tum primùm illis linguis duabus, Hebraica & Græca, tota ſacra Scriptura, ideò quòd hæ linguæ tunc temporis erant vulgatiſſimæ & populo notiſſimæ: ſequitur, inquã, ſacra publica celebranda linguis quibuſq; notiſſimis et vulgatiſſimis

Hactenus fuerunt argumenta à linguarum trium prærogativa: ſequuntur argumẽta quę ſunt ab Eccleſiarum praxi & vſu: ex his primum eſt. Ab Eſdra ad Chriſtum in Eccleſia Iudaica legi ſolebat ſacra Scriptura lingua hebraica. i. ignota: Ergo celebranda ſacra publica linguis ignotis. R. Hebraica, fateor, ſolebat legi; ſed ignota, nego. Nam Nehemię 8, planè

nè apparet sacram Scripturam, hebraicè lectam ab Esdra, à populo præsente & audiente intellectam fuisse. Ex quo sequitur consequens contrarium: Legebatur Scriptura olim in Ecclesia Iudaica lingua nota populo: Ergo hodierno die legenda linguis popularibus & notis.

Argumentum 2. est à praxi Synagogæ Iudaicæ, quæ est hodierno die. Etiamnum, inquit, hodierno die legitur Scriptura lingua hebraica in Synagoga Iudæorum: Ergo celebranda sacra publica lingua ignota. Respondeo non sequi à malo exemplo Synagogę Iudæorum, cùm id quòd legatur in Synagoga eorum lingua ignota vetus Testamentum faciat quò minus ex vulgo Iudæorum hodierni temporis plures convertantur ad fidem Christi.

Argumentum 3. est ex praxi primitivę Ecclesiæ. In primitiua Ecclesia celebrabantur sacra publica harum linguarum aliqua: Ergo. Respondeo: antecedens falsum esse ex eo apparet, quòd, vt anteà docuimus, tempore veteris Ecclesiæ, imò Apostolorum Ecclesiæ, sacra Scriptura transfusa sit in omnes ferè linguas.

Argumentum 4. est à praxi perpetua Catholicæ,

tholicæ Ecclesiæ, in qua celebrata sunt sacra publica, vel græca vel latina lingua. R. si Catholicam intelligant Romanam, tum nihili fecero ejus Ecclesiæ exemplum & praxin: Sin hoc nomine veram Catholicam intelligant, tum ex ijs quæ jam tradidimus constat antecedens esse falsum. Atque hæc Argumenta hactenus ab vsu & praxi Ecclesiarum sumpta.

His argumentis alia adjiciunt, vt argumentum ab vsu & fine vtili: Sacra publica celebrata ab omnibus vel à multis Ecclesijs lingua vna, vt latina, plurimum faciunt ad vnitatem fidei conservandã. Cui respondeo, imò contra ad vnitatẽ infidelitatis & ignorãtię. Prętereà experientia docet, etiam in summa varietate linguarum vernacularum, Deo sit gratia, conservari in reformatis Ecclesijs fidei vnitatem.

Argumentantur deinde ab inutili. Nihil prodest populo quod legantur Scripturæ linguis vernaculis, nam non intelligit sententias Scripturarum, etsi verba nota sint? Respondeo, imò idiota quivis, si cum timore Dei & reverentia accedat ad audiendam lectionem Scripturæ sacræ, aliquã vtilitatem ex ea capiet.

Rursus ab inutili argumentantur. Imò lectio vernacula Scripturarum magis obest & nocet populo; nam diminuta magis quàm

aucta

aucta est pietas postquã cœperunt sacra publica linguis vernaculis celebrari. R. Non valet sequela: sacra Scriptura vernacula lingua lecta multis obest: Ergo non legenda lingua vernacula: quia per accidens & vitio ipsius populi obest & nocet. Sic Evangelium prædicatum est odor mortis ad mortẽ non paucis: Ergo non prędicandum Evangelium. Præterea non est ista religio & vera pietas, quæ est cum ignorantia, quo tempore sacra Scriptura legitur, & sacra publica peraguntur lingua peregrina & ignota; sed stupenda superstitio, quę etiam, fateor, licentiam peccãdi refrẽnat. Hactenus à finibus & effectis argumenta fuerunt tria.

Argumentantur præterea ab absurdo, primùm hoc modo. Si legendæ Scripturæ linguis vernaculis, tum versiones sunt renovandæ singulis ætatibus: Nam verborum vetus interit ætas; quod quidem est incommodum. R. Quid hic incommodi etsi versiones dicas renovandas singulis ætatibus? Sed non tam totæ versiones quàm vocabula aliqua abolita & inusitata renovantur.

Rursus ab incommodo argumentantur. Papa nõ intelligit omnes linguas vernaculas: Sacra autem publica celebranda sunt lingua

Papæ

Papæ nota. Ergo. R. Nego celebranda neceſſariò lingua Papæ nota. Hoc probant, quia vniverſalis eſt Epiſcopus: Et hoc quoq; nego. Quare nihil incommodi eſt etſi Papa non intelligat linguas illas vernaculas quibus celebrantur ſacra publica. Hactenus de ſecunda quęſtione.

Sequitur tertia. An vulgo & laicis, vt vocant, permittenda ſit Scripturarum lectio. In hac quęſtione tractanda ero brevior. Nos igitur reſpondemus licere cuivis etiam ex fæce populi legere Scripturas ſacras. De hac re vide *Deut. 6. & 11. & 17. Ioſua. 1. Iob. 5.* Scrutamini Scripturas ait Dominus. *Act. 17.* Beroœenſes ſcrutati ſunt Scripturas, & ideò laudati à Spiritu ſancto. *Matth. 4.* exemplum illud Chriſti qui Satanã non alijs quàm Scripturæ armis oppugnavit docet Scripturam ejuſque lectionem ſuppeditare arma, quibus muniendus eſt quivis ex populo adverſus Satanam. Poſtremò idem probat praxis Eccleſiæ: Nam quorſum verſę ſunt Scripturę tempore veteris Eccleſiæ in linguas populares, niſi vt à populo legi & intelligi poſſent. Atq; hæc paucis eſt ſententia noſtra.

Quæ verò adverſariorum? Ante aliquot annos reſponderunt non licere omninò vul-

go

go & Laicis, quos vocât, legere ſacram Scripturam: Vide Cenſuram Colonienſem. Poſteà, cum viderẽt hoc odioſum eſſe, mutarúnt ſententiam, ac nunc quidem dicunt licere, ſed addita conditione, ſi permittatur: permittatur, inquam, à quibus? Reſpondent poſt Papam, ab Epiſcopis aut Inquiſitoribus. An ab his, inquam, ſolis? Reſpondent, non ſolis, ſed adhibito in conſilium Parocho aut Confeſſario. Accipio qui permittant lectionẽ Scripturæ: nunc quæro quibus permittatur? Reſpondent, non quibuſvis promiſcuè, ſed ijs duntaxat quos Parochus, quem Curatum vocant, tum ex confeſſione, tum ex tota vitæ ratione hominem verè Catholicum eſſe cognovit, hoc eſt, pertinacem Papiſtam. Accipio quibus permittatur lectio Scripturarũ: Quarum autem vernacularum verſionum lectio permittitur? Non quidem quarumcunque ſine diſcrimine, ſed earum quas Catholici aliqui authores ediderunt, vt eſt hodierno die verſio Anglica Rhemenſium novi Teſtamenti. Hæc paucis de illa permiſſione quæ licentiæ hujus conditionem conſtituit. Atque hęc ſententia eſt juxta decretum Pij quarti Papæ, quod quidem decretum confirmatum eſt à Synodo Tridẽtina, & laudatum à Rhemenſi-

bus

bus in præfatione editionis suæ vernaculæ. Hæc quoque Bellarmini est sententia, quæ verbis quidem differt à priori illa Papistarum sententia, sed res eodem recidit: nam quid interest sive non permittatur omninò. sive hoc modo, & hac conditione permittatur.

Atque hæc hactenus de tertia quæstione, et omninò de controversijs quę hodierno die agitantur de sacra Scriptura. Quod sciam equidem nulla est ex omnibus quam intactam prorsus reliquimus. Dictum igitur sit de verbo Dei, quod est verbum vtriusque fœderis: Item de Scriptura sacra, quæ modus est quidam, quo Deo visum est verbum suum hominibus revelare. Sequitur nunc vt dicamus de Peccato & miseria hominis.

De Peccato in genere.

CAP. 24.

LOcus de Peccato, vt & superiores, subalternus est loco de vocatione. Est enim vocatio translatio hominis ex statu peccati et miseriæ, in statum justitiæ & beatitudinis. De peccato igitur primùm in genere est dicendum, tum veniẽdum ad ejus species, sive partes. Peccati nomen significat quiddam compositum ex materia quadam sua & forma.

Materia

Materia peccati, vt de ea dicam priori loco, est ens quoddam: Ens autem illud non est substantia, sed accidens; atque illud quidem vel qualitas, vel actio: Qualitas autem hæc et actio non sunt cujusvis creaturæ; sed rationalis duntaxat creaturæ, Angeli vel Hominis: Nam his solis lex à Deo data est. Entis hujus, quod materiam peccati esse dicimus, Deus ipse author est & principalis efficiens: nam is solus est qui vocat ea quæ non sunt tanquam sint, & qui res omnes creat, tam substantias, quàm accidentia: Creatura autē nullius omninò entis principalis efficiens vel est, vel dicitur. Ens igitur illud quod est peccati materia, cùm ejus efficiens principalis sit Deus, necessariò in se & per se bonum est: Quicquid enim creat vel efficit Deus, illud insitam habet bonitatis formam. *Gen. 1. 31.* Cum inspiceret (inquit) Deus quidquid fecerat, ecce bonum erat valdè. Bonitatis ista forma adeò insita est & essentialis enti quod facit Deus, sive qualitati, sive actioni, vt ab eo nunquam separetur. Induit fateor hoc ipsum ens formam aliam, nempè ἀνομίαν, cujus causa est malum instrumentum, vt posteà dicemus: verùm ἀνομία hæc tantùm adventitia est, neque destruit essentialem illam entis ipsius bonitatis formam, quę

à Deo

à Deo creatore & effectore proficiscitur. Nã enti quod Deus facit nihil potest addi vel detrahi, quo vel melius vel deterius in se fiat. De materia peccati hactenus.

Nunc de forma dicendum est. Forma peccati ἀνομία dicitur, hoc est, vt sic loquar, carentia conformitatis cum voluntate & lege diuina. 1. *Iohan.* 3. ἁμαρτία peccatum ex forma sua sic definitur, ἡ ἁμαρτία ἐστιν ἡ ἀνομία: Ἀνομία hæc, quam peccati formam & rationem esse dicimus, non est ens aut aliquid positivum; sed merè privativum quid, nempè privatio, &, vt sic dicam, carentia conformitatis quæ est cum lege Dei. Ἀνομία hæc fit causa & culpa mali instrumenti, quo vtitur Deus in ente vel opere suo faciendo; atque eo quidem vel Diabolo, vel homine malo & infideli. Diabolus enim vel homo malus, dum concurrit cum Deo ad opus ipsius producendum, ipsius entis siue operis causa non est principaliter efficiens, sed instrumentaria duntaxat & ministra; Ἀνομία verò Diabolus vel homo causa est principaliter efficiens.

Ἀνομία autem hæc, cujus efficiens est malum instrumentum, existit vel ex eo quòd ipsa actio vel opus pugnet cum lege Dei, vt cum quis perpetrat homicidium: homicidij enim actio

actio pugnat cum expressa lege illa. Ne committe homicidium: vel ex eo est quòd fons & principiũ actionis aut operis pugnet cum lege Dei, etiamsi ipsa actio in sese legi conformis sit: Lex enim Dei, quemadmodum actionem siue opus ipsum præcipit, ita fontis & principij actionis rationem habet; mandatq; vt omne illud opus quod præcipitur lege, procedat ex corde puro, sancto, & fideli, illius nimirum instrumenti, quo vtitur Deus in opere suo faciendo. Exemplum hujus generis ἀνομίας est, vt cum quis eleemosynam erogat, quod opus quidẽ est à Deo mandatum, non tamen ex charitate id facit. Vide *1. Corinth. 13.* Vel denique ἀνομία ex eo existit, quòd finis quem malum instrumentum sibi habet in agendo siue cooperando cum Deo propositum, cum lege Dei pugnet. Lex enim Dei, vt opus ipsum, vt operis fontem & principium, sic quoque finem præcipit, nempè, summum illum, Dei ipsius gloriam: Sive editis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia facite in Dei gloriam. *1. Cor. 10.* Hoc modo ἀνομία est, quando quis facit quicquam non propter Deum, non propter ipsius gloriam: sed propter se, propter suum commodum, propter suã gloriam duntaxat.

Notan-

Notandum quòd qui peccat in fonte actionis, is continuò peccet in fine, & è contrà. Quare hi duo modi ἀνομίας posteriores perpetuò conjuncti sunt. Notandū rursus quòd qui peccat in fonte & in fine, non continuò peccet in ipsa actione. Actio enim vel opus instrumenti, etiam pessimi in se, bonum legiq; conforme esse potest. Quare modus ἀνομίας primus, & duo posteriores, non sunt necessariò conjuncti: Iam verò ἀνομία hæc, quam rationem & formam peccati esse dicimus, accedens ad ens illud, cujus author est Deus, & quòd in se bonum est, sive illud qualitas sit, sive actio, conficit hoc quod peccatum dicimus, quodque sic vocatur à forma sua, non autem à materia, cùm res omnes appellationes suas à formis suis sortiantur.

His expositis, facile erit definitionem peccati aliquam colligere, vt sit peccatum, qualitas vel actio creaturæ rationalis ἀνομος sive pugnans cum lege Dei. Proprietas peccati in genere, sive ejus consequens est reatus: Reatus autem est meritum pœnæ. Vt igitur peccatum consequitur reatus, ita reatus consequens est pœna temporaria & æterna.

Hæc de peccato in genere; quibus cognitis facilè est respondere ad ea quæ de peccato

quæri

quęri solent; & ad hoc nominatim quod quę-runt: An peccatum sit à Deo? vel an Deus sit author peccati? Resp. In peccato duo sunt; ens, & ἀνομία. Deus entis illius author est, & principalis efficiens; ἀνομίας verò non est au-thor Deus, verùm malum instrumentum. Rursus quæritur, an nullo modo hæc ἀνομία est à Deo? R. A Deo est, non quidem effici-ente, sed permittente: permittit enim eam fie-ri à malo instrumento. Tertiò quæritur an permittat Deus illam ἀνομίαν quà ἀνομία est? Resp. Minimè. Quod vel hac sola ratione o-stendi potest. Permittit eam ad gloriã suam: omnia autem media gloriæ divinæ, quà talia, boni rationem habent, & ipsæ tenebræ, vt à Deo permittuntur ad gloriam nominis sui, in lucem evadunt.

Hîc deinde si quæratur: Annon igitur si ἀνομία quà ἀνομία est, non permittatur à Deo, annon necesse est ἀνομίαν quà ἀνομία est Deo invito fieri? R. Non sequitur: nam quod invi-to Deo fit, id propriè dicitur fieri contra Dei decretum, non autem contra revelatam ipsius voluntatem, siue expressam legem: ἀνομία au-tem quà ἀνομία est, non fit contra decretum aliquod: Ergo ἀνομία quà ἀνομία est, non fit invito Deo. Assumptio ostenditur, quia Deus

non decrevit ab æterno ne fieret à malo instrumento ἀνομία quà ἀνομία est. Ergo, inquis, decrevit vt fieret? Resp. Non sequitur; nam vtrumque hoc verum est de Deo: Deus neque decrevit ne fieret ἀνομία quà ἀνομία est, neque decrevit vt fieret ἀνομία quà ἀνομία est. Nullum enim de ἀνομία quà ἀνομία est extat Dei decretum, sive in hāc, siue in illā partem.

Sed queras, annon aliquo modo à Deo permittente fiat ἀνομία quà ἀνομία est? R. Deo permittente dicitur aliquid fieri duobus modis; per se, vel per accidens. Quod Deo permittente per se fit, id necesse est habeat rationem, & induat aliquo modo naturam boni; cum illud ipsum Deus & proponat, & dirigat ad bonum finem: Quod autem fit per accidens Deo permittente, siue deserente creaturam, nihil vetat quo minùs illud sit malum quà tale: Nam Deo permittente sibi ipsi creaturam & malum instrumētum, creatura quidem agit quod malum est, quà malum est: neque fieri potest quin id faciat, quippe deserta ab eo qui boni omnis est author: Sed jam illud malum, quà malum, Dei permittentis & deserentis respectu, per accidens fit, non per se; cum Deus in deserendo, malum quà malum est non proposuerit, sed contrà quà boni

ratio-

rationem habet, & medium est gloriæ suæ, præsertim per misericordiam, consequendæ: Nam omnia media, siue ea faciat ipse Deus, siue ea permittat à malis instrumentis fieri, primo loco & destinantur à Deo, & diriguntur ad gloriam misericordiæ, quæ est ex salute creaturę: Conclusit Deus omnes in contumacia, vt omnium misereretur. Secũdo autẽ loco propter duritiem hominis, & cor quod resipiscere nescit, peccata & mala quæ fiunt à malo instrumento inserviunt gloriæ quam sibi ex justitia sua & justis pœnis acquirit.

Quòd si contra hæc objicias: Deus permittit peccatum vt ipsum puniat: punit autem peccatum, quà peccatum est, ἁμαρτίαν vt ἁμαρτία est: Ergo permittit peccatum quà peccatum est, ἁμαρτίαν quà ἁμαρτία est? Resp. ad assump. Peccatum, vt ex eo consequitur pœna, quæ ipsa bona est, & cedit in gloriam Dei, peccatum, inquam, illud, non jam habere rationem peccati, sed rationem boni producentis bonum effectum: Mala enim causa, vt mala est, boni effectus esse non potest: Sed si statuatur etiam ea causa quæ in se mala est, boni effectus causa, necesse est aliquo modo ipsa naturam boni induat. Concedo equidem peccatum quà peccatum est causam esse pœnæ, sed

jam profectò vt pœna est effectum malæ causæ necesse est ipsa sit mala: Et revera pœna quæ infligitur, duobus modis consideratur; primùm vt quiddam in se malum: Nam εὐεμμ. est aliqua in omni pœna, & omnis pœna aliquo modo etiã peccatum est. Deinde consideratur vt quiddam bonum, vtpote medium divinæ gloriæ. In summa dicam: Omnia media etiam quæ in se & per se sunt mala, respectu Dei proponentis, & respectu finis, gloriæ divinæ, aliquo modo bona fiunt: Atque omnino tota series illa mediorũ, quæ est inter Deum proponentem tanquam caput & principium, & Dei gloriam tanquam vltimum finem, series est rerum, quæ vel per se bonæ sunt, vel certè naturam boni aliquo modo induũnt. Nam duo illa extrema tenebras omnes in lucem quodam modo commutant.

De Peccato Originali.

CAP. 25.

HActenus de peccato in genere dictum sit: Peccati prima divisio est in originale, & actuale. De originali, vt dicamus primo loco, primùm occurrit considerandæ nominis hujus ratio & notatio. Peccatum originale ideò dicitur quòd sit ab origine, conceptione,

et

et nativitate nostra: fit enim per propagationem, & derivatur ex parentibus in liberos, vt hæreditarius quidam morbus, veluti scabies, lepra, calculus.

Quòd autem sit hoc peccati genus, id manifestiùs est quàm vt de eo quæri debeat: Nemo enim est omnium tam stupidus & omnis sensus expers, qui non ipse sentiat in se hereditarium istum morbum, & naturæ suæ vitium, ac corruptelam. Verùm Spiritus sanctus, qui probè novit quid sit in homine, multis Scripturæ sacrę testimonijs docet esse malum hoc originis. *Gen.5.3.* Cum gigneret, inquit, Adam filium in imagine sua, secundum similitudinem suam. Vide hîc propagationẽ corruptæ illius imaginis, quæ in Adamo fuit, in ipsius filium Sethum. *Iobi. 14. 5.* Quis edat mundum ex immundo? ne vnus quidem. Vide propagationem immunditiei. *Psal. 51.7.* En in iniquitate formatus sum, & in peccato fovit me mater mea. Vide peccatum quod haurimus ex ipso vtero. *Iohan.3.6.* Quod genitum est ex carne, caro est: Vide propagationem carnis, hoc est, corruptæ naturæ. *Rom.5. 12.* Sicut per vnum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, &c. Vide peccati propagationem. *Ephes.2.3.* Era-

mus natura filij iræ. Vide naturā corruptam, ideòque iræ Dei obnoxiam. Atque hactenus docuimus peccatum originis esse.

Nunc videndum quod sit ejus subjectum in quo inhæret. Subjectum originalis peccati, est totus homo quātus quātus est, & quoad animam, & quoad corpus: Id quod docet vel sola illa appellatio veteris hominis, *Rom. 6.6.* et alibi; qua significatur nihil aliud quàm totus homo corruptus, vel corruptela in toto homine. Quòd animus sit vitiatus hoc malo, id docet, primùm ipse sensus, deinde multa Scripturæ testimonia. *Gen. 6.5.* Cum videret Iehova omne figmentum, id est, cogitationes cordis ejus tantùm ad malā esse omni tempore. *Gen. 8.21.* Quamvis figmentum cordis hominis malum sit ab adolescentia ejus. Eph. 2. 5. Faciendo quæ carni & cogitationibus libebant: Quòd corpus sit infectum hac peste. vide *Rom. 6.12.* Ne regnet peccatum in mortali vestro corpore. Quòd etiā membra corporis singula infecta sint ac vitiata, vide eodem cap. vers. 13. Neque sistite membra vestra arma iujustitiæ peccato. Subjectum huius mali quodnam sit, etiam indicant ipsius appellationes, vt cùm caro vocatur, cùm concupiscentia, cùm lex membrorum, cùm corpus

pus peccati, cùm corpus denique mortis: De subjecto peccati originis hactenus:

Nunc ad partes ipsius veniendum, & cùm sit quiddã compositum videndum primùm quæ ejus materia, deinde quæ forma. Materia originalis peccati triplex est, ac prima quidem materię ipsius pars est apostasia illa & defectio, qua in Adamo omnes defecimus: Hanc haurimus ex ipso vtero, & omnes nascimur apostatæ & defectores. Quòd autem defectio illa prima, nõ tam solius Adami fuerit, quàm nostrûm omnium, primùm illud ratio ipsa docet: fuimus enim tum omnes in lumbis ipsius, & quasi particulæ substantiæ & naturæ primi hominis, quas omnes oportuit simul cum ipso labi ac deficere. Hac ipsa de causa *Heb. 7.* dicitur Levi, cum nondum natus esset, decimas Melchisedeco persoluisse; quia nimirùm in lumbis Abrahami fuit, qui tum decimas illas persoluit Melchisedeco. Factum igitur Abrahami, factum fuit pariter Levi & posterorum ipsius, qui tum in ipsius lumbis fuerunt. Deinde idipsum docet Scriptura, nominatim ille locus qui est. *Rom. 5. 12.* In quo (subaudi Adamo) omnes peccavimus.

Transijt fateor ac evanuit illa prima apostasia, vt & omnis actio transit; sed tamen ali-

quo modo manere dicitur, quia licet ipsa per se transierit, tamen in reatu suo manet: Omnis enim homo natura reus nascitur primæ illius defectionis. Idem judicium faciendum est de quocunq; peccato, homicidio, adulterio, furto, &c. Quodcunq; enim sit, illud omne manere dicitur quantisper ejus reatus manet. Manet igitur in singulis lapsus & defectio illa prima, tantisper dum reatus ipsius auferatur & abluatur per sanguinem mediatoris. Apostasiam hanc, siue mavis reatum, quocum omnes nascimur, testimonia Scripturæ ostendunt. *Rom. 5. 15.* Vnius offensa multi mortui sunt: Quamobrem etiam reos esse multos oportet ejusdem illius offensæ. *Rom. 5. 16.* Reatus ex vna offensa introijt ad condemnationem. Atq; hæc de prima parte materiæ peccati originalis, defectione nimirū illa & apostasia, quam ex ipso vtero nobiscum auferimus & exportamus.

Sequitur originalis peccati materiæ pars secunda, quæ est defectus quidam, &, vt sic dicam carentia justitiæ originalis, hoc est, rectitudinis illius, in qua fuit creatus homo, efformatæ ad Archetypum & exemplar justitiæ illius & rectitudinis quæ est in ipso Deo creatore. Hominem enim creavit ad imaginem

suam

ſuam ſapientem, juſtum, ſanctum. In his enim Apoſtolus ad *Epheſ.* & ad *Coloſſ.* collocat ſimilitudinem illam, quam cum Deo habuit homo in creatione. Carentia hæc quam dico juſtitiæ originalis effectum primum eſt defectionis illius, quam diximus. Defectio enim illa, cujus rei omnes naſcimur, privat nos in ipſo ſtatim ortu, imò in ipſa conceptione, juſtitia illa originali & Dei imagine. Hanc partem materiæ originalis peccati probat ipſe ſenſus, probant multa Scripturæ teſtimonia; ea intelligo, quæ de peccato loquuntur negatiuè vel privatiuè: Ea enim omnia ſatis indicant defectum in nobis eſſe, & carentiam originalis juſtitiæ. *Rom. 3. 23.* Omnes deficiuntur gloria Dei. *Rom. 7. 18.* Novi non habitare in me, id eſt, in carne mea bonum: & ibidem paulò pòſt; Perficere quod bonum eſt non invenio. *Rom. 8. 7.* Intelligentia carnis legi Dei non ſubjicitur, nam ne poteſt quidem. *1. Cor. 14.* Animalis homo non eſt capax eorum quæ ſunt Spiritus Dei, nec poteſt ea cognoſcere. *2. Cor. 3. 5.* Non ſumus ex nobis ipſis idonei ad cogitandum quidquam boni. *Epheſ. 4. 18.* Cogitationem habentes obtenebratam, & abalienatam à vitâ Dei. Atque hæc de ſecunda parte materiæ peccati originalis, nempè, ca-

rentia

rentia Originalis iustitiæ.

Sequitur tertia, quam dicimus esse inclinationem, & qualitatem, originali iustitiæ & rectitudini illi, de qua diximus, contrariam, in ejus locum succedentem: Hæc est illa, quã vocant, nativa corruptio; et effectum est secundum apostasię illius & defectionis, de qua suprà dictum est. Apostasia enim illa primùm privat nos originali iustitia, siue Dei imagine: Deinde in ejus locum justo Dei judicio introducit qualitatem iustitiæ illi contrariam, qua fit, vt natura simus propensi ad omne malum. Qualitatem hanc, & inclinationem contrariam probat ipse sensus, probant etiam testimonia illa Scripturæ, quæcunque de peccato loquuntur affirmatè, vel vt sic dicam, positivè. *Rom. 7.7.* Concupiscentiam non nossem, nisi lex dixisset, Non concupisces. *Rom. 7.23.* Video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ. *Ephes. 2.3.* Facientes quæ carni & cogitationibus libebant. Huc pertinet illud quod suprà citavimus ex *Gen. 5. & 8.* Atque hæc de tertia parte materiæ peccati originalis.

De defectu & inclinatione, quæ duæ partes sunt materiæ peccati originalis, hoc admonendum est: nullam esse animi nostri facultatem

cultatem quæ non laboret vtroque simul isto morbo. Facultates animi nostri præcipuas facimus, mentem, voluntatem, & affectiones. Duas has posteriores facultates vocabulo cordis intelligit Scriptura: quia nimirum in corde sedem habent voluntas, & affectiones. In mente igitur primùm est defectus, siue carentia lucis & cognitionis; est etiam carentia sanctitatis, hoc est, qualitatis, qua ipsa cognitio siue lux affici debet, & reipsa affecta fuit in primâ creatione. Lux siue cognitio mentis duplex est, naturalis, & spiritualis: In mente carentia est lucis sive cognitionis naturalis, non quidem in vniversum, sed ex parte: Manent enim etiam post lapsum, in homine non renato notiones quædam generales, de rebus bonis & malis, quæ jubentur & vetantur in lege Dei: sed illæ quidem hujusmodi, vt homines tantùm inexcusabiles reddant, cum & mancæ sint, & corruptæ. *Rom. 1. 19.* In mente carentia est lucis spiritualis, non ex parte, sed in vniuersum: Nam quod ad ea quæ ad regnum Dei pertinent, ita obcæcatur intelligentia, vt ea non modò non capiat, sed ne capere quidem possit. *1. Cor. 2. 14.* Denique in mente est carentia sanctitatis, quia neque ea quæ intelligit, benè sanctèq; intelligit, sed malè & impurè

purè omnia, etiam ea quæ in se & per se bona sunt: Facultas enim intelligendi, etsi non sit planè amissa, tamen sanctitas illa facultatis, in qua creata fuit ad imaginem Dei in lapsu hominis prorsus deperdita est. Carentiam naturalis lucis probat Apost. *Rom.1.21.* Propterea quod cum Deum cognoverint, tamen vt Deum non glorificaverunt. Posteriora hæc verba innuunt notitiam naturalem mancam esse, statimque evanescere. Carentiam spiritualem docet Apost. *1.Cor.2.14.* Animalis homo non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei. Carentiam sanctitatis docet Apost. *Rom.8.7.* Intelligentia carnis inimicitia est adversus Deum; etiam tum cùm intelligit ea, quæ alioqui in se bona sunt & vera. *2.Cor.3.8.* Non quòd idonei simus ex nobis ipsis ad cogitandum quidquam, subaudi, benè sanctèque. *Eph.4.18.* Cogitationem habentes obtenebratam, & abalienatam à vita Dei: & ibidem versu 23. Renovari verò Spiritu mentis vestræ. Atque hæc de carentia quæ est in mente.

Est deinde qualitas in mente, quæ successit luci & sanctitati, qua in lapsu privata est mens hominis. Luci successerunt tenebræ: Eratis olim tenebræ, nunc autem lux in Domino. *Eph.5.8.* Sanctitati & rectitudini successit

cessit impuritas & perversitas quædam, quæ satis apparet, dum dicitur *Rom.8.5.* Qui secundum carnẽ sunt quæ carnis sunt sapiunt. Hęc sapientia est ex aliqua qualitate mala *1.Cor.1.18.* Sermo crucis ijs qui pereunt stultitia est, & *1.Cor.2.14.* Sunt enim ei stultitia. Hoc verbum stultitię arguit perversum mẽtis judiciũ.

Hactenus de carentia & qualitate contraria quæ est in mente. Vtrumque hoc similiter est in voluntate & affectionibus singulis. Carentiam rectitudinis in voluntate innuit Apostolus dum dicit, Perficere bonum non invenio. *Rom.7.18.* Ad *Phil.2.13.* Is est qui efficit in vobis, & vt velitis, & vt efficiatis: Præsentiam pravitatis, siue perversitatis voluntatis & effectuum multa docent Scripturæ testimonia: vt illud, Figmentum cordis humani tantummodò malum. *Gen.6.* Facientes quę carni ac cogitationibus libebant. *Ephes.2.3.*

Hoc addo postremò, originis hoc malo magis esse vitiatam & corruptam voluntatem hominis, quàm mentem: Vnde illud: Video meliora proboque, (mentis nimirùm beneficio) Deteriora sequor (voluntatis nimirùm maleficio.) Hoc ipsum innuit Apost. *Ephes.4.18.* dum dicit ignorantiam quæ mentis est ex obdurationę cordis existere. Item *Rom.1.28.*

Non

Non visum, inquit, est ijs Deum in notitia retinere: Vide vt obstinata voluntas lucē mentis oppugnet, & tenebras menti inducat.

Atque hæc hactenus de peccati Originalis materia triplici. Hæ partes materiæ peccati originalis, cum totidem entia sint, & ab authore Deo sint, insitam sibi qualitatem bonitatis habent singulæ: Nam apostasia siue defectio in se ac per se bona est; item carentia originalis justitiæ, cum entis cujusdam rationem habeat, & res quædam sit facta motu illo defectionis; carentia, inquam, à Deo est, & in se bona est; denique qualitas illa positiva, quæ succedit in locum sanctitatis & imaginis Dei, à Deo est tanquam principali efficiente, & per se bona est. Prout igitur triplex est entitas, ita triplex est bonitas.

Forma originalis peccati sequitur. Est autem ea ἀνομία siue pugnantia cum lege Dei, eaque specialis, vtpote quę certam peccati speciem constituit: Quemadmodum autem peccati originalis materia triplex est, ita triplex est ἀνομία: Vnaquæque enim materiæ pars suam habet ἀνομίαν, & adventitiam formam, in qua posita est peccati ratio: Apostasia suam habet ἀνομίαν carentia suam, positiva denique qualitas suam. Hæc triplex ἀνομία non

non est à Deo efficiente, verùm à malis instrumentis Diabolo primùm, Adamo deinde, eo denique homine, quisquis is est, qui ex Adamo nascitur: Nam & nos quoque qui laboramus hoc morbo hæreditario, ipsi causæ sumus morbi nostri. Atque hæc de forma peccati originis.

Nunc ex materia & forma sua definiendum est hoc originis peccatum: vt sit peccatum originis, apostasia siue defectio, carentia justitiæ originalis, & positiua qualitas, ἀνομία siue pugnantes cum lege Dei. Pro genere est triplex materia, pro forma triplex ἀνομία. Vt peccati in genere consequens est reatus in genere, sic originalis peccati consequens est reatus specialis: Is autem triplex est prout triplex est materia, triplex item forma: Nam & apostasia suum quendam reatum habet, & carentia suum, & qualitas positiua suum. Reatus autem vnusquisque meritum est mortis, & pœnæ etiam æternæ.

Superest nunc vt, cum constet propagari hoc peccatum originis ex parentibus in liberos, inquiramus in propagationis modum, quem sic explicabimus. Omninò propagatio peccati aliquo trium modorum fit: propagatur enim vel per animam, vel per corpus parentis,

rentis, vel denique per ipsius culpam. Per animam parétis propagari peccatum dici non potest, quia ipsa anima parentis non propagatur in liberos, vel secundum se totam, vel secundam partem sui, vt constat: Quare per animam parentis propagatio hujus peccati esse non potest.

Per corpus parentis propagationem peccati aliquam esse non ineptè dicitur, et eam quidem propagationem & in corpus geniti, & in ipsius animam. Propagatio peccati per corpus gignentis in corpus geniti facilè cognoscitur: Nam semen gignentis, quod transmittitur in genitum corruptum est, atque vitiatum peccato: Ex quo sequitur oportere corpus geniti, quod nascitur ex hoc semine corrupto & immundo, corruptum & immundum pariter esse.

Propagatio peccati per corpus gignentis in animam geniti paulò difficiliorem habet explicationem: Nos tamen eam quæ nobis videtur probabilis trademus. Postquàm per corpus gignentis propagatum est peccatum in corpus geniti, jam corpus genitum cum corruptum sit ac vitiatum. animam jam primùm creatam à Deo, & ipsi momento creationis infusam, contagione quasi sua inficit, eamque

eamq; corrumpit. Quæres an quo primùm tempore creatur anima, & infunditur in corpus, pura sit atque integra; posteà autem corporis quasi attactu inquinetur? R. id non esse verisimile, cum vno eodemq; temporis puncto, & creetur anima, & infundatur, & corrumpatur. Corruptio autem hæc exiſtit partim ex Dei desertione; partim ex corporis in quod infunditur contagione: Nam Deus eodem momẽto quo animã creat & infundit, justo suo juditio eam deserit, permittitq; corpori corrumpendam: Ergo eodẽ momento & temporis puncto anima creatur, infunditur, deseritur à Deo, corrumpitur à còrpore.

Sequitur modus propagationis qui dicitur esse per culpã parentis, quem sic explico. Adamus per culpam illam & offensam suam primam, tanquam per portam quandã, transmisit in omnes posteros suos quidquid fuit in ipso mali: Vnde Apost. *Rom.5.* Per vnum hominem (nempe peccantem) introijt peccatum in mundum.

Quæres vnde sit ista efficacia primi illius peccati, ad propagandum peccatum in omnes & singulos Adami posteros? R. efficaciam illius peccati ex verbo & fœdere quodam Dei esse, quod in prima creatione pepigit

cum Adamo, his quasi conceptis verbis. Quòd si steterit homo in ea innocẽtia in qua creatus est, stabit sibi & suis: sin minùs steterit sed lapsus fuerit, labetur sibi & suis: & quodcunque malum in ipso est, id omne transmittet in posteros suos. Atque hic modus postremus propagationis peccati originalis, cum nitatur authoritate & verbis Apostoli, nobis magis arridet, & moderatis ingenijs omnibus debet satisfacere. Atque hactenus fuit nostra de peccato originali sententia.

Hæreticorum autem & adversariorum, tam veterum, quàm recentiorum, de peccato originali sententiam paucis duntaxat attingemus. Primùm occurrit hæresis Pelagij Monachi, & Cælestij ejus discipuli, qui dixerunt peccatum originis nullum esse; Adamum lapsu suo sibi soli nocuisse, non etiam posteris suis, nisi dicas exemplo. Peccatum quidem posterorum contenderunt esse, non quidẽ ex propagatione, sed per imitationem prævaricationis Adami.

Quum objectum fuit ijs, infantes modò natos mori, quodquidem non contingeret, nisi in iis esset peccatum originis. Responderunt Adamum moriturum fuisse etsi non peccasset, lege & conditione naturæ. Argumentum

tum Pelagij contra originale peccatum hoc præcipuum fuit. Quòd si propagetur peccatum necesse est id fieri, vel per animã, vel per corpus, vel per vtrumq;. At non per animam, quia non est tradux animæ: Non per corpus, quia brutum est, neq; in eo sedem habet peccatum propriè & primùm: Non denique per vtrumque, quia non per partes: Ergo non est omninò originale peccatum. Responsio facilis est ex ijs quæ dicta sunt suprà de propagationis modo. Primùm enim propositio non continet plenam modorum propagationis enumerationem: Est enim præter illos modos propagatio quæ dicitur per culpam parentis. Deinde etiam falsitas est in assumptione: nam licet propagatio non sit per animam, tamen per corpus non inepte dicitur propagari peccatum, vt suprà docuimus. Hactenus de Pelagij & Cælestij hæresi.

Scholasticorum deinde de originis peccato variæ fuerunt sententiæ: Quidam originis peccatum in reatu tantùm peccati Adami posuerunt: alij verò tantùm in carentia originalis justitiæ. Petrus Lombardus his confutatis posuit ipsum etiam in positiva qualitate mala. Albertus Pighius, & Ambrosius Catharinus peccatum originale dixerunt nihil aliud

esse, quàm primam illam Adami inobedientiam. Ex hac sententia tres alias deduxerunt: quarum prima fuit, Peccatum originis vnum est tantùm & idem in omnibus hominibus. Secunda, Hoc peccatum in Adamo fuit re ipsa, in posteris autem ipsius est per imputationem: Tertia fuit, Nihil est in infantibus, quod revera peccati rationem habeat: Nam reatum, privationem justitiæ, maculam, & similia, pœnæ non culpę rationem habere affirmarùnt, nisi fortè impropriè, quo modo nomen causæ accommodatur effectui.

Bellarminus his omnibus succedens reprehendit primùm Lombardi sententiam de positiva qualitate, deinde Pighij tanquā hæreticam damnat. Ex argumentis ijs quibus Lombardi sententiam refutat hoc vnum est & præcipuum. Positivæ illius qualitatis vel Deus author est, vel non: Si est, igitur est author peccati: Si non est, igitur Deus non est author omnium rerum. Ergo non est omninò positiua qualitas. Ad assump. respondemus. In positiua illa qualitate mala duo sunt; primū, qualitas ipsa, quod ens est; secundum, malitia sive ἀνομια, quæ privatio est. Qualitatis ipsius & entis Deus est author & efficiens principalis: Malitiæ verò & ἀνομιας non

Deus,

Deus, sed malum instrumentum efficiens est.

Tandem Iesuita suam sententiam affert, & in duobus ponit peccatum originis: Primùm, in prima illa Adami inobedientia ab ipso Adamo commissa, non quidem vt erat persona aliqua privata, sed vt personam totius generis humani gerebat: deinde ponit ipsum in carentia doni iustitiæ originalis: Rectè quidem duas has statuit originalis peccati partes; sed malè tertiam illam, quæ est positiua qualitas mala, omisit. Atque hæc de aduersariorum sententijs, omninòque de peccato originali, sequitur actuale.

De Concupiscentia.

CAP. 26.

QVia autem de concupiscentia, quę tertia pars est peccati originalis, controversia est, ideò de ea nonnihil seorsim erit dicẽdum. Concupiscẽtię nomẽ propriè ac primò significat facultatem concupiscendi, quæ est in inferiori anima; nempè sensibili, & naturali: Per tropum autem significat nativam corruptionem, & positivam qualitatem malam, quæ non tantùm est in facultate animæ concupiscibili, sed in omnibus animi humani facultatibus, etiam in ipsa ratione: Nam tam

latè

latè patet in Scriptura concupiſcẽtię nomen quàm veteris hominis, vel carnis: hæc enim nomina à Paulo pro eodem ſumuntur, vetus homo, caro, concupiſcẽtia, lex membrorum, nempè, pro tertia illa parte peccati originalis, quæ eſt poſitiva qualitas mala. Quòd autem concupiſcentia propriè & verè peccatum ſit, ſatis apparet ex Epiſtola ad *Rom.* cap. 7. Peccatum, ait, non novi niſi per legem: Concupiſcentiam non cognoviſſem niſi dixiſſet lex, Non concupiſces. Atque hæc in ſumma de concupiſcentia eſt noſtra ſententia.

Pelagius concupiſcentiam in naturæ bonis numerat: nam peccatum originis negat. Adverſarij Papiſtæ Concupiſcentiæ nomine nihil aliud intelligunt quàm illam ipſam vim, quæ eſt in anima inferiori; in ſe quidem rem bonam, vel certè indifferẽtem, malam autem per accidens & reſpectu aliquo: nempè, quia jam excuſſum quaſi eſt frænum originalis juſtitiæ, quo concupiſcentiam oportuit in ordinem cogi; & excuſſo jam fræno illo, inclinat ad peccandum. De concupiſcentia hæc eſt Tridentini Concilij ſententia, quòd verè & propriè peccatum non ſit, peccatum autem appelletur, quia ex peccato eſt, & ad peccatũ inclinat. Verùm concupiſcentiam peccatum eſſe

esse manifestius est ex doctrina Pauli, quàm vt probatione vlla indigeat: neque tantùm peccatum esse in non renatis; verùm in ipsis quoque renatis. De Concupiscentia hactenus, omninòque de peccato originali.

De Actuali peccato.

CAP. 27.

ACtuale peccatum est fructus & effectus, atq; etiam pœna originalis peccati. Actualis divisio prima & summa occurrit in actuale internum, & externum. Internum voco, peccatum animi & facultatum ipsius. Internum partim est omissionis, partim commissionis. Omissionis est priuatio siue carentia bonæ sanctæque motionis: Proficiscitur autem ex carentia originalis iustitiæ. Vt autem carentia illa est omnium animæ facultatum, sic peccatum hoc omissionis internũ, est omnium animæ facultatum. De peccato omissionis loquitur Apostolus. *1. Cor. 2. 14.* cum dicit, Animalis homo non capit ea quæ sunt Spiritus Dei. Vide hîc carentiam sanctæ motionis in humana carne: Cujus fundamentũ paulò pòst subjicit, Nec potest ea percipere: Quibus verbis habes carentiam illius potentiæ & facultatis, ex qua est sancta motio.

Sequitur internum commissionis: Est autem motio animi mala pravaque: proficiscitur autem ex tertia parte peccati originis, nempè positiua qualitate mala, siue nativa corruptione. Quemadmodum autem positiua qualitas est omnium animi facultatum, sic internum commissionis peccatum est omnium animi facultatum. De peccato hoc passim loquitur Scriptura *Rom.7.5.* Cum essemus in carne, affectiones peccatorum per legem existentes vigebant in membris nostris, ad fructum ferendum morti. Vbi tria habentur, primum caro, quæ est originale peccatum: Secundum, affectiones, quibus intelligitur internum commissionis peccatum. Tertio loco habes fructum παθημάτων, quo quidem intelligitur peccatum actuale externum: Eadē illa tria habes *Ephes.2.3.* Facientes quæ carni ac cogitationibus libebant. Primum est caro, peccatum originale: Secundum est cogitatio carnis, quod internum commissionis est peccatum: Tertium est facere, quod quidem est externum peccatum. Eadem illa habes *Iacob.* 1.15. Concupiscentia postquam concepit, parit peccatum. Concupiscentia est originale peccatum; Conceptio est actuale internum: Partus ejus est externum peccatum. De pec-

cato

cato actuali interno hactenus.

Sequitur externum actuale, quod est peccatum corporis & membrorum ipsius: Hoc quoque peccatum, partim est omissionis, partim commissionis. Omissionis externum est, cum non fiunt quæ facienda sunt: Proficiscitur ex omissionis interno: Vtque omissionis internum est omnium animi facultatum, sic & omissionis externum est omnium corporis membrorum. De hoc peccato testimonium est *Rom. 7.9.* Non facio bonum quod volo. Sequitur commissionis externum: Est autem cum fiunt quæ non sunt facienda, proficiscitur autem ex interno commissionis peccato: estque omnium membrorum corporis, vt & internum commissionis est omnium animi facultatum. De hoc peccato testimonia Scripturæ sunt, quæ suprà attulimus, & alia multa. *Rom. 7.19.* Malum quod nolo, hoc ago.

Commissionis externum duplex est, partim ex errore & ignorantia est, partim ex cognitione. Ex ignorantia est, cum quis ignorans aliquid committit: Tale fuit peccatum Pauli 1. *Tim. 1.13.* Nam ignorans id faciebam, fidei expers. Ignorantia hæc vel juris est, vel facti. Ignorantia juris est ignorãtia voluntatis Dei: De hoc peccato loquitur Christus. *Luc. 12.48.*

Qui

Qui verò non novit voluntatem Domini sui, & fecit digna plagis, cædetur plagis paucis. Hæc quoque fuit Pauli ignorantia cum blasphemavit, & persequutus est Ecclesiam Christi. 1. *Timoth.* 1. Ignorantia facti est, cum quis etiam quod facit ignorat: Ignorat autē quis factum suum, vel cum per negligentiam facit aliquid, vel cum per eum fit aliquid fortuna & casu, sive mavis, inevitabili Dei providentia: Exemplum peccati per negligentiam est, vt si gubernatoris negligētia amittatur navis: Exemplum peccati ex fortuna sive providentia Dei est, vt si quis jacto lapide prætereūtem aliquem, de quo ipse ne cogitavit quidem, interficiat. Hujus peccati causa constitutæ sunt in veteri populo civitates refugij. *Num.* 35.23. Hactenus de peccato commissionis externo, quod est ex errore sive ignorantia.

Sequitur peccatum commissionis externum, quod ex cognitione committatur. Est autem cum quis sciens aliquid mali perpetrat. De hoc loquitur Christus. *Luc.* 12.47. Ille servus qui novit voluntatem Domini sui, nec facit, cędetur multis plagis. Hoc peccatum vel infirmitatis est, vel contumacię. Infirmitatis exemplum habemus in Petro, qui ter Dominum suū metu persequutionis & mortis

tis abnegavit. Contumaciæ exemplum habemus in Iuda proditore. Peccatum contumaciæ rursus est vel hypocriticum, vt cum quis contumax est non apertè, sed sub larua hypocrisios. Hoc peccatum redarguitur ab Apostolo. *Rom.2.5.* Pro duritia tua, inquit, & corde quod resipiscere nescit, thesaurizas tibi irã in diem iræ. Deinde contumacia est aperta, cum nimirùm ad contumaciam accedit superbia in ipsum Deum: Vnde dicitur aliquid perpetrari elata manu *Num. 15. 30.* Aperta hæc contumacia & superbia, vel est aduersus secundam legis tabulam, vt est apertum homicidium, apertum adulterium: & tum quidem peccatum est minùs grave. At intolerabilis est illa superbia, quę est aduersus primam legis tabulam. Atque in hoc genere est hæresis primùm, cum quis ex superba pertinacia contra veritatem, sententiam aliquam defendit.

Omnium peccatorum, de quibus hactenus dictum, proprietas est, quòd eorum aliquem pœnitere possit. Vnde sequitur altera proprietas, quòd remissibilia sint omnia. At verò si ad cognitionem, superbi ĩ, proterviam, accedat mera malitia in Spiritum sanctum, intus illuminantem & docentem, jam peccatum

tum exurgit, quod vocant peccatum in Spiritum sanctum : cujus hęc est proprietas, quòd eum qui sic peccat peccati sui pœnitere non possit: Vnde sequitur hoc peccatum irremissibile esse. Remitti autẽ non potest, non quòd ejus magnitudo superet magnitudinem gratiæ & misericordiæ Dei in Christo; sed quia hujus peccati pœna est finalis impœnitentia, quæ ipsi justo Dei judicio infligitur. De hoc vide. *Matth. 12.21. Heb.6.4.5.* & cap. *10.26.* & *1. Iohan. 5.16.* Atque hæc de peccato actuali hactenus.

De peccato actuali sententia adversariorum sequitur. Controversia maximè est de divisione peccati actualis, in peccatum mortale, & veniale. Nos quidem affirmamus omne peccatum natura sua esse mortale, hoc est, habere consequentem reatum mortis ęternę: Si quod autem veniale sit, hoc est impetret veniam à Deo, id esse non quòd tale sit naturà suà, sed quòd veniale sit ex sola Dei misericordia in Christo Iesu. Hanc nostram sententiam confirmant multa Scripturæ loca. *Rom.6. 23.* Stipendia peccati mors. De peccato in genere loquitur & de morte æterna. *Mat. 5.19.* Quisquis solverit vnum ex mandatis hisce minimis, & ita docuerit homines, minimus

mus vocabitur in regno cœlorum, hoc est, nullus erit in cœlis. Vide peccata etiam minima mereri excluſionē ex regno cœlorum. *Deut.27.26.* Execrabilis quiſquis non manſerit in omnibus quæ ſunt ſcripta in libro legis. Ergo nullum eſt peccatum, quod non meretur execrationem ſive maledictionem. Nam cum denunciat execrationem omnibus, ne vnum quidem vel minimum aut leviſſimum excipit. *Iacob.2.10.* Quiſquis totam legem ſeruaverit, offenderit autem in vno, omnibus tenetur. Ergo vnum aliquod peccatum contra legem ad miſſum, tranſgreſſorem facit totius legis, & reum peccatorum omnium, quæ contra legem quovis modo committuntur: Vt non ſit opus metiri reatum ex vno aliquo, eoque minimo peccato. Nam etiā minimum peccatum habet conſequentem reatum maximorum peccatorum, vt manifeſtè apparet ex hoc Iacobi loco. *Matth. 5. 26.* Nequaquam exibis illinc, quouſque reddideris vltimum quadrantem. Ergo Deus in exigendis rationibus ſuis, rationem habet minutiſſimarum partium peccati, & peccatorum minimorum. Præcepto decimo prohibentur vel leviſſimi concupiſcentiæ motus. *Mat.22.27.* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &

ex

ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua: Ergo lege præcipitur exactissima obedientia, in qua nihil desideretur: Quamobrem qui peccat etiam in minimo, legem transgreditur: Transgressionem autem legis sequitur maledictio æterna, nisi redemptio fiat per Christum Iesum. *Matth. 5. 18.* Vsquedum præterierit cœlum & terra, iota vnum aut vnus apex nequaquam præterierit ex lege, vsq; dum omnia facta fuerint. Ecce non præterit vnum jota, vel vnus apex, hoc est, vel minutissima pars legis violatæ, pro qua non sit satisfaciendum, vel per nosipsos, vel per mediatorem. Atque hæc de sententia nostra.

Adversarij, peccatum actuale ex gravitate sua, vel ex reatu pœnæ distribuentes, aliud faciunt mortale, aliud veniale. Mortale definiunt peccatum, quod extinguit charitatem sive justitiam, nosque Deo inimicos reddit, ac proinde reos mortis æternæ. Veniale autem definiunt peccatū, quod non extinguit charitatem sive justitiam, neque inimicos Deo reddit; sed justitiam quam in charitate collocant, levi quodam modo afficit, & tanquam nævus quidā leviter ipsam deformat: quamobrem facili negotio veniam impetrat, & levi aliquo supplicio expiatur, cujusmodi est in hac

hac vita: Oratio Dominica repetita, Tunsio pectoris, Satisfactio, vel pœnitentia à Sacerdote imposita, vel etiam quam vltrò homines ipsi sibi imponunt. Post hanc vitam est ignis purgatorius, quo expiantur peccata venialia, quæ non sunt expurgata in hac vita, illis, de quibus diximus, piaculis.

Duplex faciunt peccatum veniale: Primùm veniale esse dicunt, quia tale est ex natura & substantia sua, cujusmodi est: Verbum otiosum, Risus immodicus: Deinde veniale dicunt, quia tale est, non quidē ex natura sua, sed ex imperfectione, cum nimirùm peccatum natura sua mortale est; quia autē imperfectum est quoad quantitatem mali, ideò veniale est. Imperfectionem hanc duplicem esse dicunt: vel enim imperfectio est ratione voluntatis, nempè cùm ad motionem concupiscentię interiorem non accedit plenus voluntatis consensus. In hoc genere venialis peccati numerant motus quoscunque interiores malos, qui citiùs oriuntur in animo quàm mens de ijs deliberare potuit, quiq; non obtinent plenum voluntatis consensum, vt sunt motus cupiditatis, irę, invidię, &c: deinde imperfectio est ratione materiæ circa quam versatur peccatum, nempè, cum materia ita parua est

ua est, ita exilis, vt peccatum ipsum veniale reddat, verbi gratia, cum quis fururatur vnũ obolum, vel quid tale minutum, quo vel nihil, vel parum læditur proximus, aut violatur charitas.

Peccatum veniale conantur confirmare varijs argumentorum generibus. Primùm testimonijs tum Scripturæ, tum Ecclesiæ: deinde rationibus: In quibus omnibus refutandis nos non statuimus immorari. Pro peccato veniali citant *Matth.12.32.* Quisquis fuerit loquutus adversus Spiritum sanctum non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. Ergo, inquiunt, est peccati aliquod genus, quod remittetur post hanc vitam: Illud autem est veniale, quod quidem expiatur igni purgatorio. Verùm phrasεos hujus quæ est apud *Matth.* interpres est *Marcus*, cap. 3. 29. Quicunque, inquit, blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum; sed tenetur æterno judicio. Ergo cum dicit *Matthæus*, Neque in hoc sæculo, neque in futuro, idem est ac si dixisset, Non remittetur ei in æternum.

Adferunt deinde locum qui est *Matth.5.22.* Quicunque irascitur fratri suo temerè, tenebitur judicio: Quicunque verò dixerit fratri suo

suo Racha, tenebitur consessu: Quisquis autem dixerit Fatue, tenebitur gehenna ignis. Tria, inquiunt, hic peccata sunt, quorum tertium duntaxat adjudicatur gehennæ sive inferis: Quamobrem duo præcedentia leviori aliquo supplicio expiantur, & venialia sunt. Respondeo hunc locum innuere inæqualitatem, primùm peccatorum, deinde pœnarum, atque earum quidem spiritualium & infernalium, quas hic expressit Christus per allusionem ad pœnas politicas & civiles, easq; inæquales.

Tum rationibus agunt. Nemo, inquiunt, negat peccatum aliud alio levius esse sua natura: Ergo, annon quod levius est, veniale est sua natura? Respondeo, Non sequitur: quia vel levissimum quodque promeretur æternam damnationem suapte natura, licet fortasse non gravissimam: Nam pœnarum inæqualitatem non negamus.

Deinde annon peccatum aliud alio, quod ad quantitatem attinet imperfectius est? Annon igitur quod imperfectius est veniale est, vel propter ipsam imperfectionem? Respondeo, Non sequitur, quia vel imperfectissimũ quodque meretur mortem æternam: Aut si veniale sit, tale est non propter imperfectio-

nem, sed propter Christum ipsiusque satisfactionem.

Tertiò: Annon, inquiunt, illud peccatum quod non destruit justitiam, charitatem, & inhærentem gratiam, illud, inquam, annon veniale est? At sunt quædam peccata, quæ non destruunt vel extinguunt justitiam: Ergo sunt quædam venialia. Probatur assumptio. Septies in die cadit justus & iterum resurgit: Ecce peccat quis, etiam tum cum non cessat esse justus. Respondeo, Prop. falsa est: Nam etiam illud peccatum quod non extinguit gratiam Christi, & sanctitatem inhærentem, illud, inquam, suapte natura mortale est; Quòd autem veniale sit, atque etiam non extinguat sanctitatem, illud non ipsi peccato, sed Dei in Christo misericordiæ imputandum est.

De Peccato in Spiritum sanctum controversia.

CAP. 28.

ADversarij peccati hujus sex species numerant: Prima est præsumptio, qua quis nimis præsumit de gratia Dei & fide, dum interea operibus suis fidem abnegat: Hunc hominem reprehendit Iacobus in Epistola sua *capite 2. ver. 14.* & deinceps. Secunda est desperatio, præsumptioni contraria: Hoc peccatum

tum fuit Caini & Iudæ. Tertia est agnitæ veritatis impugnatio. Huc spectat blasphemia in Spiritum sanctum, quod peccatum fuit Phariſæorum. Quarta est fraternæ gratiæ inuidentia: Hoc peccatum fuit Iudæorum, qui gratiam Christi gentibus invidebant. Quinta est obstinatio, cum quis obstinato animo, scienter in peccato persistit. Sic peccavit Pharao, sic obstinati Iudæi. Sexta finalis impœnitentia, quæ tum est cum quis cum contemptu Sacramenti pœnitentiæ & satisfactionis à ministerio Ecclesiastico impositę, mortem obit. De hoc peccato intelligunt locum illum qui est. *1. Iohan. 5. 16.* Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget. His omnibus modis peccari adversus Spiritum sanctum, tanquam fontem bonorum, peculiariter dicunt, atq; etiam peccari inexpiabiliter: & peccata hæc irremissibilia vocari, sed non eodem sensu omnia: Verùm quinque priora ideò irremissibilia vocari dicunt, quia rarò & difficulter remittuntur: quemadmodum rarò & difficulter quis ducitur eorum pœnitentia. Postremum autem solum, quod est finalis impœnitentia, irremissibile propriè vocari censent; quod neque in hac vita, neque post hanc vitam, remittitur. Atque hæc est eorum

ſententia de peccato in Spiritum ſanctum.

Nos autem non didicimus ex Scripturis, niſi vnum peccatum eſſe, quod ſic vocetur: quod *Matth.12.31. Marc.3.29. Luca. 12.10.* vocatur blaſphemia in Spiritum ſanctum. Ad Hębræos 6. deſcriptio ejus habetur, tanquã apoſtaſiæ cap. 6.4. & deinceps, item 10.26. 27. Sic etiam deſcribitur. *2. Petri.2.20.* & deinceps. *1. Iohan.5. 16.* vocatur peccatum ad mortem: Quòd ad alias quas enumerant peccati hujus ſpecies, ex ijs quędam hujus peccati, quam blaſphemiam dicimus, conſequentia ſunt, ad ipſumque pertinent: Nam deſperatio eſt pœna hujus peccati, vt & impœnitentia finalis: Obſtinatio eſt in natura hujus peccati; poſitum eſt enim in obſtinata malitia. Quòd ad reliquas quas numerant ſpecies, non video qua ratione vocentur peccata in Spiritum ſanctum: Præſumptio enim, quid aliud eſt quàm hypocriſis? Fraternęverò gratię invidentia, peccatum eſt adverſus proximum propriè & ſecundam legis tabulam. Ergo illud maneat vnum duntaxat eſſe peccatum, quod ſic vocetur, nempè blaſphemiã in Spiritum ſanctum, vel apoſtaſiam à gratia Spiritus ſemel accepta: Idẽ enim reipſa ſunt blaſphemare adverſus Spiritum ſanctum & deficere

cere à gratia accepta. Non nego tamen hoc peccatum quod substantia vnum est, augeri: Tum enim ad summum pervenit, cum fertur adversus totam veritatem, quæ est secundum pietatem. Deinde dicimus hoc peccatum quod vnum est, irremissibile esse, non quòd vel rarò vel difficulter ipsi remittatur: sed quòd non remittatur ipsi omnino, cum non possit omnino eum pœnitere peccati sui, qui sic peccavit. Concrescit enim illi cor in eam duritiem, quę in posterum resolvi vel emolliri nunquam poterit, idque justo Dei judicio. Quòd autem simpliciter sit irremissibile hoc peccatum, apparet ex verbis illis Domini in Evangelio suo, quæ suprà citavimus: Nam cum apud Matthęum dicitur: Non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro: Et apud Marcum, Non habet remissionem in æternum, sed tenetur ęterno judicio: Annon hęc verba omnem remissionis spem adimunt, neque difficultatem tantùm significant, sed impossibilitatem omnimodam? vt mirum sit Rhemenses illos vim istam verborum Domini tam impudenter elevare. Ad *Heb. 6.* ἀδύνατον & impossibile esse dicit, vt, qui sic peccat, renovetur per resipiscentiam: Addit causam gravissimam & summè necessariam: Vt qui,

inquiens, rursum crucifigat sibimet ipsi filium Dei, hoc est, quantum in se est id facit.

Quod quò melius intelligamus statuendum est discrimen inter alia quæcunque peccata, & peccatum hoc in Spiritum sanctum, quod ad eorum remissionem & expiationem attinet. Alijs expiandis sufficit illud vnicum Christi sacrificium semel oblatum, & ipsius vis ad ea expianda & expurganda in perpetuum sese extendit: At verò vbi semel quis peccavit in Spiritum sanctum, & profanavit illum sanguinem, jam vis illius sanguinis & sacrificij sic ab ipso profanati, non extēdit se ad expiationem illius peccati. Quare vt expietur illud peccatum opus est novo aliquo sacrificio, quod nullum vnquam dari potest: Quòd si enim daretur, vel daretur Christus rursum crucifigendus, vel daretur alia aliqua hostia: Sed non dari potest Christus rursum crucifigendus, vt neque dari potest alia quævis hostia, vt dicitur ad *Heb. 10. 26.* Non adhuc pro peccatis reliqua est hostia. Ergo peccatum hoc expiari nunquā potest, cum nulla possit dari nova hostia: Atque hæc est causa impossibilitatis summè necessaria.

Adversarij, nominatim Rhemēses, in hunc Apost. locum annotantes, impossibilitatem istam

istam sic interpretantur: Pœnitentiam, siue renovationem, siue peccati expurgationem duplicem statuunt: Priorem,& eam quidem facilem ac non laboriosam, in Baptismo & per Baptismum: purgationem nimirùm peccatorum omnium quæ Baptismum antecesserunt per simplicem & facilem illam in Baptismo lotionem. Posteriorem dicunt pœnitentiam siue peccatorum purgationem eam, quæ fit in Sacramento, quod vocant, pœnitentiæ,& in hoc Sacramento hæc purgatio ijs est peccatorum eorum, quæ commissa sunt post Baptismum,& ea quidē difficilis ac laboriosa, vt quę opus habeat jejunijs, precibus, satisfactionibus, & afflictionibus corporalibus. Hac distinctione posita, impossibilem interpretantur renovationem respectu pœnitentiæ illius, renouationis, & purgationis peccati, quæ fit in Baptismo: Impossibile enim esse dicunt vt peccatū commissum post baptismum iterato aliquo baptismo expurgetur: Non enim sumus rebaptizandi. Quod ad posteriorem illam pœnitentiam & renouationem, possibilitatem in ea statuunt, dicuntque peccatum etiam graviſſimum post baptismum commissum,posteriori hoc renouationis & pœnitentiæ modo expiari posse.

Volunt itaque Apostolum tacitè peccantes post Baptismum ablegare ad Sacramentum, quod vocant, pœnitentiæ: ad hoc vt vi illius sacramenti ipsorum peccatum expietur, ipsique renoventur: Verùm hac sua interpretatione detorquent Scripturam sacram suo exitio: Nam illud certum est omnimodam impossibilitatem renovationis hoc loco significari ab Apostolo, id quod ratio addita facilè convincit.

Postremò ex illo Iohannis loco suprà citato constat peccatum hoc irremissibile esse, idque propriè, neque vllo modo remissibile: Non enim orandum esse pro eo peccato dicit Iohannes. Quòd si non orandum nulla spes est vel resipiscentiæ vel remissionis. Non ignoro quid hic respondeant Rhemenses: nempè peccati, quod est ad mortem, nomine intelligi finalem impœnitentiam: Finalis impœnitentia non remittitur, quia non est pœnitentia, ac proinde pro ea non est orandum post mortē hominis qui sic peccavit, & mortuus est in impœnitentia cum contemptu nimirum sacramenti pœnitentiæ. Licere autem dicunt orare pro alijs peccatis etiā post mortem eorum qui peccarunt. Hæc quoque detortio est Scripturæ: neque enim orationem

intelligit

intelligit Apostolus vel concipiendā vel non cōcipiendam post mortem ejus qui peccavit, sed non concipiendam pro homine vivo & vidente, postquam jam deprehēsum est certis argumentis eum peccare ad mortem, vt pro Iuliano Apostata, pro quo viuo non orauit Ecclesia, imò contra vivum orauit, postquam jam certis argumentis deprehendit eum ad mortem peccare, id est, in Spiritum sanctum blasphemum esse. Prætereo hic locum Petri suprà citatum, quo quidem non difficultas, sed mera impossibilitas renouationis, resipiscentiæ, & remissionis significatur, cum dicitur, Facta est eorum conditio posterior, deterior priore. Et posteà cum dicitur, sed accidit eis quod vero prouerbio dici solet, Canis reuersus est ad suum ipsius vomitum, & sus lota ad volutabrum cœni. Atque hæc de secunda hac controuersia, omninoque de peccato dicta sunto.

De Fide iustificante

CAP. 29.

VOcatio efficax fit per legem primùm, deinde Euangelium. Legis doctrina vniuersa reuocari potest ad hunc syllogismum. Maledictus qui non manserit in omnibus quę scripta

scriptá sunt in libro legis huius vt faciat ea: At ego non mansi in ijs, Ergo ego maledictus. Propositio huius syllogismi est vox legis, & comminatio illa quæ adjecta est fœderi operũ, quod sic cõcipitur: Hoc fac & viues; quòd si non feceris, morieris. Assumptio huius syllogismi, est conscientiæ cuiusque applicantis ad quemque legis transgressionem. Conclusio similiter conscientiæ est, applicantis ad quemque iustam pro peccato pœnam & maledictionem. Syllogismus hic non tam vocationis est, quàm præparationis nostrî ad vocationem efficacem, quæ propriè fit per doctrinam Evangelij: Nam doctrinâ legis quæ cõprehenditur hoc syllogismo consternimur & afficimur sensu miseriæ nostræ, qui sensus primus est ad salutem gradus.

Doctrina autem Euangelij comprehendi potest hoc syllogismo, Quisquis crediderit, justificabitur ac viuet: At ego credo: Ergo ego justificabor ac viuam. Propositio est vox Euangelij, vel ipsius Dei vocantis. Ea enim cõtinetur prima vocationis efficacis pars, quæ nihil aliud est, quàm promulgatio quædam fœderis gratuiti, cuius formula habetur in hac propositione. Assumptio non est quidem naturalis conscientiæ, verùm supernaturalis fi-

dei

dei cuiusque applicantis ad quemque Iesum Christum fœderis Mediatorem, & eum quidem crucifixum primùm, deinde glorificatũ. Conclusio similiter fidei est, applicantis ad quemq; beneficia Christi, justitiam ipsius, salutem per ipsum. Hic syllogismus propriè vocationis est, ejusque propositio prima pars vocationis est. Assumptio autem & conclusio secunda. Cum autem assumptio & conclusio sint fidei nostræ, qua nos quasi respondemus Deo vocãti, profectò non immeritò dicemus secundam vocationis efficacis partem, nihil aliud esse, quàm fidem. Quamobrem locus de fide, generali loco de vocatione subalternus erit.

Sequitur ergo vt de fide dicamus, & ea quidem propriè & simpliciter sic dicta, hoc est, de fide quam justificantem vocant. Nam quòd ad alias fidei species, quę vulgò enumerantur, vt est fides mortua, &c. eæ sic vocantur non simpliciter, sed κατὰ τι, & cum adjectione, fides mortua, fides temporaria, &c. In fidei itaque explicatione primùm occurrit eius objectum. Obiectum in genere est quicquid in verbo Dei continetur, hoc est, vniuersa veritas Dei. In specie verò, & propriè objectum est Iesus Christus cum beneficijs suis.

Christi

Christi & beneficiorum ipsius duplex est consideratio: primùm enim Christus cum beneficijs suis consideratur vt offertur in verbo & sacramentis: hoc est, vt offertur in speculo nō tam Christus ipse, quàm imago quędam ipsius. De speculo hoc verbi & sacramēti habes *1. Cor. 13. 12.* Cernimus enim nunc per speculum & per ænigma. Item *2. Cor. 3. 18.* Nos autem omnes retecta facie gloriam Domini, vt in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriā. Christus sic cōsideratus, nihil aliud est, quàm Christus prædicatus verbo, & in sacramento repręsentatus. Nos (ait) prædicamus Christum crucifixum *1. Cor. 1. 23.* Euangelium enim prædicatum Christum quodammodò ob oculos ponit. *Gal. 3. 1.* Quibus ob oculos Iesus Christus priùs fuerat depictus, inter vos crucifixus. Deinde consideratur Christus extra speculum hoc verbi & sacramēti, sicuti est in sese. De Christo sic considerato loquitur Apostolus *1. Cor. 13. 12.* Tunc autem coram cernemus: Et *1. Ioh. 3. 2.* Scimus autem fore, vt cùm ipse patefactus fuerit, similes ei simus, quoniam videbimus eum sicuti est.

Vt duplex est Christi consideratio, ita ipsius cognitio & apprehensio duplex est. Prior

fides

fides vocatur, posterior visio siue aspectus. De vtroque hoc habes *2. Cor. 5. 7.* Per fidem enim incedimus non per aspectum. Duo hi cognoscendi & apprehendendi modi conueniunt quidem inter se natura & essentia. Vtrumque enim est cognitio & apprehensio Christi: differunt quantitate, &, vt loquuntur, secundũ maius & minus: Nam fidei cognitio minor est, vt & apprehensio: Vnde *1. Cor. 13. 9.* Ex parte cognoscimus. Aspectus verò cognitio & apprehensio major est, adeòque perfecta, vt quæ futura sit in altero sæculo. De hac perfecta cognitione dicitur ibidem *ver. 10.* Postquam autem advenerit quod perfectum est. Et *versu 12.* Tunc verò cognoscam prout edoctus fuero.

His positis & cognitis facilè perspicitur, quod sit fidei speciale & primum objectum: nempe, Iesus Christus cum beneficijs suis, & is quidem vt sese offert in verbo & sacramentis. Vel objectum fidei est ipsum verbum, siue promissiones quæ de Christo fiunt, quod idẽ est. Ex hoc sequitur quo tempore cessabit hęc verbi prædicatio, & sacramentorum administratio, cessaturam pariter & fidem hanc per quam nunc incedimus: vide *1. Cor. 13.* Tum quod ex parte est abolebitur. Notandum denique

nique de hoc obiecto fidei, quòd ſpeciale ſit, ſpecialiter & ſigillatim oblatum mihi, tibi, & alijs ſingulis hominibus. Nam licet verba generaliter concipiantur, ſpecialiter tamen ſunt accipienda, quaſi dicta mihi, tibi; vel de me, de te. De obiecto fidei hactenus.

Nunc de ſubiecto ejus dicendum eſt, nempe, in quo eſt, & à quo procedit. Subiectum fidei eſt animus humanus, & in animo humano rationales ac principales facultates: eas voco mentem primùm, deinde voluntatem. Nã quòd ad alias & inferiores animi facultates & affectiones, fides non tam dicitur in ijs inſidere, quã eas ſanctificare, & incitare ad bonum, & tanquam domina, regere. Vnde dicitur, Fide purgatis cordibus eorum. Quòd autem fides ſit mentis, apparet ex ijs appellationibus quæ fidei tribuuntur paſſim in Scriptura: vt cum vocatur cognitio, notitia, viſio: vt cum dicitur, Cernimus nũc in ſpeculo. Quòd autem ſit in voluntate, apparet ex eo quod dicitur *Rom. 10. 10.* Corde enim creditur ad juſtitiam: Et *Epheſ. 3. 17.* Vt inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus veſtris: Sedes enim voluntatis cordi tribuitur. Porrò ipſa nomina, quibus fides inſignitur in Scriptura, ſatis convincunt ejus ſedem eſſe, nõ tantùm in mente, ſed

sed in voluntate & corde: vt cum apprehẽsio dicitur, vt cũ amplexus quidã vocatur, & alijs id genus nominibus, quæ functionẽ cordis & volũtatis significãt. De subjecto fidei hacten'.

Nunc propiùs ad ipsius naturam, & naturæ partes accedamus. Prima pars fidei, est mẽtis cognitio siue intellectio, qua mens simpliciter sentẽtiam, vel propositionem Euangelij aliquam, intelligit, nominatim autem propositionẽ illã quę est in Syllogismo illo Evangelico quem suprà adduximus: Nam propositio illius syllogismi est quasi compẽdium quoddam totius Evangelii. Ab hac parte, nempe, cognitione, tanquam primaria, nominatur fides passim in Scripturis.

Secunda fidei pars est ejusdem mentis judicium, sive, ut vocatur vulgò, assensio. De judicio hoc loquitur Scriptura passim, ut *1. Cor. 2.15.* Spiritualis dijudicat quidem omnia. *1. Ioh. 4.1.* Probate spiritus an ex Deo sint. Iudicium hoc duplex est, primùm veritatis, deinde bonitatis. Veritatis judicium est, cum mẽs assentitur propositioni Euangelicæ; quòd vera sit. De hoc judicio vide *Ioh. 3.33.* Qui recipit ejus testimonium, is obsignavit quòd Deus verax sit. *1. Tim. 1.15.* Fidus est hic sermo, & modis omnibus dignus quem amplectamur,

mur, &c. Deniq; judicium hoc veritatis colligitur ex omnibus Scripturæ locis, in quibus fit mentio veritatis verbi diuini. Iudicium bonitatis est cum assentitur mens, rei, quæ est in propositione Euangelica, quòd bona sit, ac proinde sequenda. Nam sciendum est propositiones omnes Euangelicas practicas esse, vt vocantur, in quarum nuda speculatione & contemplatione non est inhærendũ; sed quæ trahendæ sunt ad mores & vitam quotidianã. De judicio hoc bonitatis habes *Rom. 7. 16.* Consentio legi quod bona sit. *1. Cor. 1. 18.* Sermo de cruce nobis qui servamur potentia Dei est: & ibidem posteà *versu 24.* Prædicamus, inquit, Christum vocatis Dei potentiam ac Dei sapientiam. Atque hæc de judicio hoc duplici, quod diximus esse generalis illius propositionis syllogismi Evangelici. De quo vtroque, hoc postremò tenendum est, quòd non tantùm generale sit, verùmetiam speciale, quo ego judico vera esse de me, bona esse mihi, quæ dicuntur in Evangelio. Nam, vt suprà diximus, de me, de te, specialiter dicta intelligenda sunt, quæ in Evangelio annunciãtur: Estque hoc speciale judicium propriè illa quæ vocatur πληροφορια. Hanc sequitur πεποιθησις siue fiducia, quæ cordis est ac voluntatis,

de

de qua proximè dicemus.

Sequitur itaque tertio loco electio siue apprehensio voluntatis, quæ tum est, cum volũtate siue corde suo quisq; peculiariter ad sese applicat id quod judicauit, primùm verũ, deinde bonum, non tantùm in genere, sed etiam in specie. Apprehensio hæc siue applicatio, est in assumptione & conclusione syllogismi illius Euangelici suprà à nobis adducti. Nam postquàm mens vidit & judicavit generalem illam illius syllogismi propositionem, jam voluntas cujusque peculiariter applicat ad vnumquemque in assumptione & conclusione, bona illa de quibus fuit generalis illa propositio. De hac apprehensione habes *1. Tim. 6. 12.* Apprehende vitam æternam. *Phil. 3.* Experiens an quoque apprehendam. *1. Tim 1.* Fidus est hic sermo, & modis omnibus dignus quem amplectamur: Denique appellationibus illis omnibus, quibus in Scripturis significatur volũtatis electio, tertia hęc fidei pars intelligenda venit. Ab hac parte fides, speciális fiducia, πεποίθησις, nuncupatur: Natura enim fidei maximè in ea cernitur.

His expositis facilè erit colligere definitionem fidei. Est enim fides Christi cum beneficijs suis, vt in verbo & sacramento offertur,

primùm mentis cognitio; deinde voluntatis siue cordis apprehensio. In hac definitione habemus fidei obiectum primùm, deinde subiectum, tertiò partes. Sub mentis cognitione intelligo quoque mentis iudicium & assensionem, eamque duplicem, de qua suprà dictum est.

Sciendum est fidem sic à nobis definitam impropriè accipi pro functione & opere fidei cum fides propriè sit habitus (vt vocatur) infusus, siue qualitas sancta primùm mentis, deinde voluntatis siue cordis. Qualitas autem hæc in mente, quid aliud est quàm lux illa, de qua passim in Scriptura? Eratis olim tenebræ, nunc autem lux in Domino, *Eph.5.8.* Illuminatis oculis mentis vestræ, vt sciatis quæ sit spes illa vocationis ipsius. *Eph.1.18.* Deus qui dixit vt è tenebris lux splendesceret, is est qui splenduit in cordibus nostris ad præbendum lumen cognitionis gloriæ Dei in facie Iesu Christi. *2.Cor.4.6.* Nobis autem Deus ea reuelauit per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei. *1. Cor.2.10.*

Lux autem ista mentis, quæ prima fidei pars est, videtur non tantùm instauratio lucis naturalis, quæ in Adami lapsu labefactata est; sed

sed etiam lux quędam supernaturalis per Spiritum Christi indita menti, ad hoc vt mens intueri possit ac videre ea quæ superant omnem cognitionem naturalem. Vnde *Eph.3. 18.19.* Vt in charitate radicati & fundati valeatis assequi cum omnibus sanctis, quæ sit illa longitudo, & latitudo, profunditas, & sublimitas, & cognoscere charitatem illam Christi omni cognitione superiorem. Hanc in Adamo, in prima creatione, ante lapsum ipsius, non fuisse existimo. Adami enim ante lapsum omnis notitia mentis, vt sancta, ita naturalis videtur fuisse: ipsius Dei naturalis cognitio videtur fuisse: rerum creatarum omnium naturalis cognitio videtur fuisse. Neque Deũ in Christo Mediatore ante lapsum vidit, neq; opus fuit vt videret. Præterea hæc lux, quam dico, accenditur in mente nostra ex Christi mediatoris facie inspecta quasi in speculo Evangelii *2.Cor.3.18.* Nos omnes retecta facie gloriam Domini, ut in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam: Item *4.6.* Ad præbendum lumen cognitionis gloriæ Dei in facie Iesu Christi. Adamus autẽ ante lapsum suum, ut nihil audivit de Evangelio Christi, ita non vidit faciẽ ipsius in illo Evangelii speculo. Adhęc *1.Cor.*

15.45. de Adamo dicitur: Factus est homo prior in animā viventem sive animal vivens: de Christo autem, Posterior Adam factus est Spiritus vivificus. Ex quibus verbis conspicitur discrimen inter Adamum & Christum: quòd Adamus factus sit ψυχικὸς duntaxat & naturalis, sanctus tamen; Christus vero factus sit spiritualis & supernaturalis: Nam spiritualia supernaturalia sunt. Ex hoc rursus discrimine colligimus spiritualem istam lucem ac supernaturalem, quam solius Christi, hoc est, secundi Adami beneficio habemus, in Adamo ante lapsum non fuisse. Nam ibidem *ver.* 48. & 49. cœlestis sive spiritualis nostra hæc conditio ascribitur Christo. Sed de his hactenus & parcè.

In voluntate sive corde deinde fides est ἐνέργεια sive efficacia supernaturalis ipsi indita per Spiritum Christi, de qua *Colos.2.12.* Per fidem Dei efficaciter agentis. Hanc quoque ἐνέργειαν putamus non insitam fuisse in Adami corde ante lapsum, adducti ijsdem rationibus quas suprà attulimus. Cum autem lux illa mentis & efficacia cordis supernaturales sint, sequitur pariter functiones lucis illius atque efficaciæ, nempe mentis cognitionem, & cordis apprehensionem supernaturales esse. Quā

obrem

obrem ad definitionem illam fidei suprà à nobis adductam, hanc particulam (supernaturalis) tāquam postremam adjicimus: ut sit fides justificans Christi cum beneficiis suis in verbo & sacramēto oblati mentis cognitio & voluntatis apprehensio, non sancta modo, sed etiam supernaturalis. Ita quidem à nobis definita est fides, vt suprà admonuimus, vt fidei nomē accipitur pro functione & opere fidei: sic enim vulgò Theologi eam definiunt, sic etiam in Scripturis sanctis nomen fidei ferè solet accipi, nempe, pro functione & opere fidei τοῦ ἐγοῦντος πίστεως vocatur *2. Thes. 1. 3.* Quòd si autem cuiquam magis placeat descriptio fidei propriè, & pro habitu infuso acceptæ, sic eam quoque habeat: vt sit fides lux mentis & ἐνεργεια cordis supernaturaliter ipsis inditæ ad Christum cum beneficijs suis oblatum in verbo & sacramento, cognoscendum & apprehendendum.

Reliquum nunc est, vt nonnihil dicamus de fidei effectis. Cognitio illa & apprehēsio, quam diximus, Christi, quæ est principalium ac rationalium animi facultatum, mentis & voluntatis, otiosa esse non potest: neque sese continet intra limites superiorum facultatum animi, mentis & voluntatis: verùm in inferi-

ori corde, hoc est, in affectionibus omnibus efficax est, neque ulla est omnium affectionũ quæ non aliquo modo à cognitione hac & apprehẽsione afficitur, quę ab ea non sanctificatur modò, sed supra se ac naturã ipsam rapitur. Nam quod de fide diximus, quòd sit supernaturalis cognitio & apprehensio, idipsum verum est de functionibus omnium affectuum: nam omnes non modò sanctæ, sed etiam supernaturales efficiuntur, supernaturali quadam facultate ipsis indita per Spiritum Christi.

Sed vt figillatim de effectis fidei dicamus; Cognito jam & apprehenso Christo cum beneficijs ipsius, accenditur spes futuri boni, accẽditur metus futuri mali, accenditur mirũ in modũ amor Christi, & desideriũ ipsius, accẽditur gaudiũ atq; lętitia. Credẽtes ei exultatis gaudio ineffabili atq; glorioso. *1. Pet. 1. 8.* Accenditur dolor qui secundũ Deum est, cũ suspirijs inenarrabilibus. *Rom. 8. 26.* Deniq; totũ cor in Deum exardescit. Per fidem quoq; excitantur affectiones erga proximum, idque propter Deum & Christum: vt charitas & dilectio proximi, & oblectatio in sanctis. *Psal. 16 3.* Atque hi quidem sunt primi effectus fidei in inferiori corde siue affectionibus, & ij quidem interni.

Sunt

Sunt etiam fidei externi effectus in corpore existentes, omnibusque membris corporis atque illi quidem sunt externæ actiones corporis, in quas erũpunt interni motus affectionum; Sunt autem eæ primùm, quæ Deum respiciunt, deinde quæ proximum propter Deum. Atque hæc hactenus de effectis fidei internis simul & externis: omninoque de fide propriè dicta, quam justificantem vulgò appellant.

De improprijs Fidei acceptionibus.

CAP. 30.

SEquitur vt dicamus de improprijs fidei acceptionibus. Fidei enim vocabulum ambiguum est, & plura significat. Propriè quidẽ significat fidem hanc quam justificantem vocant: Nam ea propriè ac simpliciter hoc nomine appellatur: deinde significat fidem illã quam historicam vocant, siue mortuam, quæ nihil aliud est, quàm quasi cadaver fidei justificantis: caret enim anima, hoc est, πληροφορια mentis, & πεποιθησει cordis, speciali assensu mentis, & fiducia sine apprehensione cordis. Tertiò significat fidem quam temporariam nuncupant, quæ fidei justificantis est quasi quædam Simia. Quartò denique fidem, quã

vocant, miraculosam. Tres hæ posteriores fidei acceptiones impropriæ sunt, & nomen fidei non nisi homonymæs, & impropriè his significandis imponitur. Neque enim ex his significatis aliquod vocatur fidei nomine, nisi κατὰ dicas, secundum quid, & cum adjecto: verbi gratia; fides vocatur historiæ cognitio, sed cum hoc adjecto, historica, siue mortua, sic de cæteris. Communis autem vocabuli fidei notio est ea quæ habetur *Heb.* 11.1. Ea autem est notitia in genere, cum assensu & judicio omnium eorum quæ in verbo Dei habẽtur, eoque siue generali, siue particulari. Verbum particulare intelligo, cùm extra ordinem peculiariter aliquid alicui revelatur: qua quidẽ revelatione fiebat vt miracula per aliquem ederentur.

Dicendum itaque primo loco de fide historica siue mortua; ac primùm de ea Scripturæ testimonia sunt *Iac.* 2.15. Fides si non habeat opera, mortua est per se. *1.Cor.* 12.9. Alijs verò fides per eundem Spiritum. Series contextus & collatio facta cum alijs quæ eo loco enumerãtur Spiritus sancti donis, satis ostendunt de fide historica loqui Apostolum. Huc quoque pertinet locus qui est *1.Cor.* 13.2. Si habeam totam fidem, adeò vt montes transferam.

ram. Hic non tantùm fidem miraculosam intelligit, sed etiam historicam; dicit enim totã siue omnem fidem, deindè speciem subijcit: quasi dicat, nominatim, fidem miraculosam ad montes transferendum. Ratio nominis hæc est: Vocatur historica, quia nuda duntaxat notitia est historiæ sacrę de Deo, de Christo, de voluntate Dei, de operibus ipsius, non etiam apprehensio rerum cognitarum. Cur mortua dicatur, rationem reddit Iacobus loco suprà citato, nempè, quia non habet opera: Ratio est à consequenti siue signo. Nam privatio operum siue actionum arguit & ostẽdit fidem quasi inanimem esse, & vitæ expertem: atq;, vt sic dicam, cadauer fidei: quemadmodum si nulli sint motus, nullæ actiones hominis, neque internæ, neque externæ, eo ipso indicatur hominem esse mortuũ, & corpus esse inanime, siue cadauer hominis.

Adversarij, vt hoc obiter dicam, cum audiunt ex *Iacobo 2.16.* fidem ideò mortuam dici, quòd non habeat opera, statim concludũt charitatem & opera charitatis animam esse fidei: verùm hoc non sequitur, charitatem & opera charitatis animam esse fidei: sed hoc sequitur, charitatem & opera charitatis signa & indicia esse animę; hoc est, nominatim apprehensionis

henſionis illius Chriſti, quæ cordis eſt: nam hæc re vera eſt anima & forma fidei. Exemplo ſimili rem declarabo. Homo, ſi nulla habeat opera, nullas actiones, neque internas, neque externas, id quidem arguit in eo non eſſe animam & formam, ex qua actiones ſunt conſequentes: non autem arguit opera vel actiones eſſe ipſammet animam & formam hominis.

Verùm verba Iacobi quæ habentur cap. 2.26. pro ſua ſententia putant facere. Nam ex eo quod dicit Iacobus, Sicut corpus abſque ſpiritu mortuum, ita & fides quæ eſt abſque operibus mortua eſt: ſic inferunt; Ergo quēadmodum ſpiritus eſt forma corporis, ita opera ſunt forma fidei: Sed non valet ſequela: Nam in eo non eſt comparatio & ſimilitudo, ſed in hoc, quòd quemadmodum corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita fides ſine operibus mortua eſt. Corpus ſine ſpiritu, tanquam anima & forma ſua, mortuū eſt: fides ſine operibus, tanquam ſignis & indicijs animi, mortua eſt. Quemadmodum igitur carentia ſpiritus ſiue animæ arguit mortem corporis; ita carētia ſigni & indicij animæ fidei arguit mortem fidei: Comparatio igitur eſt ſpiritus & operū in ſimili effecto, non autem in ſimili natura:

Nam

Nam effectum simile est vtriusque, quod est mors, sed vtrumque non est ejusdem naturę. De ratione nominis hactenus.

Objectum fidei historicæ est tota historia sacra, hoc est, vniuersa veritas, quæ est secundum pietatem, & omninò vtriusque fœderis verbum, quo differt hæc fides à fide justificante, quæ pro objecto habet verbum Euangelij, siue fœderis gratuiti.

Subjectum hujus fidei mens est, quæ cognoscit atque etiam judicat: Verùm mentis judicium est veritatis, vt mihi videtur, historiæ tantùm, non etiam bonitatis rerum ipsarum, quæ in historia continentur. Nam etsi hypocrita profiteatur vera esse omnia de quibus loquitur Evangeliū, tamen non assentitur ijs intus animo, tanquam bonis, qui est primus gradus πραξεως & actionis. Iudicium enim bonitatis sequitur apprehensio quæ voluntatis est, ex qua deinde sunt motus affectuum: ex quibus denique existunt externæ corporis actiones. Ergo fides hæc mortua, non sincerè saltem assentitur ijs quæ in verbo sunt tanquam bonis, quin potiùs reipsa ea auersatur & pro malis ducit. Sic Diabolus qui hanc fidem habet, dicitur contremiscere, *Iacob. 2. 19.* Ex quo apparet Diabolum aversari Christū, om-

omniaque ipsius bona. Horror enim iste ex auersatione est & odio: Ergo, vt verbo dicam, fides hæc historica tantùm mentis est, eamq; pro subjecto habet.

Sequitur vt de ejus natura dicamus. Ex his quæ de subjecto dicta sunt, facilè discì potest quænam sit ipsius natura. Nam ea tota comprehensa est mentis notitia, & judicio veritatis, eoque generali: habet igitur vnum aut alterum gradum fidei justificãtis. Ex his omnibus quę diximus de fide historica, facile est ejus definitionem aliquam colligere. Est enim fides historica vniversæ veritatis, tam legalis, quàm Evangelicæ, mentis cognitio, mentisque judicium, quod ad veritatem attinet. Hæc de fide historica sive mortua hactenus.

Sequitur fides temporaria. De hac Fide testimonia sunt *Mat. 13. 20. 21.* Qui verò in petrosa semen excepit, is est qui sermonem audit, & eum statim cũ gaudio excipit, non autẽ habet radicem in sese, sed temporarius est, ortaque persequutione & oppressione propter sermonem, statim offenditur. In eandem sententiam lege *Lucam 8. 13.* De hac Fide vide quoque *Heb. 6. 4. 5.* Nam fieri non potest vt qui semel fuerint illustrati, gustauerintque

bonum

bonum Dei verbum, ac virtutes futuri sæculi. De hac Fide lege denique *Ioh.5.35.* Ille (nempe Iohannes) erat lucerna ardens & lucens; vos autem voluistis ad tempus exultare in ejus luce. Ratio nominis hæc est: Temporaria vocatur, quòd non nisi ad tempus duret: Non nisi ad tempus durat, quia non habet radicem.

Objectum idem habet cum fide justificãte & propriè dicta, nempè, Iesum Christum cum beneficijs suis in Evangelij verbo, & sacramento oblatum, quo differt à fide historica, quæ pro objecto habet vniversam veritatem. Subjectum idem habet cum fide justificante: Nam sedem suam habet & in mente, & in voluntate sive corde.

Deniqúe & naturæ partes habet totidem quot habet fides justificans: Nam ipsa, & mentis cognitio est, cum vtroque mentis judicio: & voluntatis sive cordis apprehensio: Ex qua etiam sequitur commotio affectuum vt gaudij, vt delectationis, &c.

Vt autem paulò fusiùs dicam de apprehensione ista, quæ est in Fide temporaria, deque gaudio isto. Primùm ex Scriptura constat ista esse in Fide temporaria: Nam Christus apud Matthæum dicit, Temporarium accipere sermonem

monem, idq; cũ gaudio. Et apud Iohannem dicuntur Iudæi exultasse ad tempus in luce Iohannis Baptistæ: Et ad Hebræos non tantùm mentis illustratio huic Fidei tribuitur; sed etiam cordis gustatio, eaque facta non tãtùm per verbum, sed etiam per Spiritum: nã ait, Qui participes facti fuerint Spiritus sancti Ergo in Fide temporaria est reipsa apprehensio quædam, est reipsa gaudium quoddam, quo differt fides temporaria à fide historica. Nam in Fide historica ista non sunt reipsa, sed qui eam habet simulat, fingit, mentitur, externa professione se ista habere: quare impudens est hypocrita: At verò qui Fidem habet temporariam, hęc reipsa habet, apprehẽsionem, inquam, & gaudium, suo quodam modo: neque sic fingit aut mentitur vt is qui Fidem habet historicam: hypocrita tamen est, quia apprehensio hęc, gaudium hoc, non sunt sincera, etsi suo quodam modo vera sint.

Dico non esse sincera, quia non sunt propter eam causam propter quam esse debent, hoc est, non sunt propter ipsum Christum in verbo Evangelij oblatum, non sunt propter Deum, non sunt propter gloriam ipsius, non propter cœlestia illa Christi beneficia, justitiam ipsius, & vitam æternam: Verùm sunt

propter

propter alias causas, vt propter novitatem Evangelij, quæ intelligenda est illo loco *Ioh. 5. 35.* Ille erat lucerna ardens & lucens, vos autē voluistis ad tēpus exultare in luce ejus; nempè, propter rei novitatem: Deinde sunt propter licentiam peccandi, quam, audita justitia illa in Christo gratuita, & libertate Christiana, statim sibi arripiunt homines: Sunt denique propter divitias, honores, aliaque hujus vitæ compendia. Cum has sibi causas propositas habeat Temporarius in audiēdo & accipiendo verbum atq; gaudendo, ista in eo non sint sincera oportēt. Nihil enim sincerè agitur nisi idipsum respectu divinæ gloriæ agatur. Atque hac in re differt Fides temporaria à justificante: Nam justificans omnia facit propter Christum ipsum, Deum ipsum, cœlestia & spiritualia Christi beneficia, quantum per humanam infirmitatem potest fieri. Ex his itaq; sequitur Temporarium, etiam hypocritam esse, cùm non sit sincerus; & temporariam Fidem hypocriticam esse, cum non sit sincera.

Ex eo rursus quod non sit sincera aliud sequitur, nempè, non esse solidam eam ac firmam: Nihil enim quod non sincerum est, solidum esse potest. Causæ enim illæ quibus ea

ni-

nititur, solidæ non sunt, verbi gratia, res istę mundanæ, vt diuitię, honores mundi, &c. quæ in re differt Fides temporaria, à Fide iustificante: Nam Fides iustificans vt sincera est, ita solida est. De ea enim dicitur *Coloss. 2. 5.* Et soliditatem vestræ in Christo fidei. Est enim fides iustificans solidum quasi corpus constans tribus dimensionibus, longitudine, latitudine & profunditate. Profundum enim atque imũ cordis occupat: At fides temporaria non corpus est cum tribus quasi dimensionibus, sed superficiẽs tãtùm hærens in convexitate cordis. Neque enim vel solida lux est, totũ cor illustrans, vel solida apprehensio, ab imo cordis proficiscens: vel denique solidum gaudium, totum corpus occupans: sed ista omnia duntaxat superficiaria sunt in fide temporaria Vnde *Heb. 6.* apprehensio illa quæ in ea est rerum cœlestium comparatur gustui, hoc est, levi attactui; cum cor quasi linguæ suæ extremitate & mucrone, cœlestia illa leuiter degustat, non autem penitùs imbibit, atque in sese recipit.

Ex hoc rursus quòd fides temporaria non sit solida, sequitur & aliud, nempè, quòd non duret in perpetuum, sed duntaxat ad tempus. Quod enim non est solidum, durabile & perpetuum

petuum non est, sed temporarium tantùm. Qua in re quoque differt à Fide justificante, quæ vt solida est, ita perpetua & constans. Ab hac proprietate Fides hæc nomen suum accepit, & temporaria vocata est: Præsupponit autem hæc proprietas præcedentes illas duas: nempè, primùm quod non sit solida, deinde quod non sit sincera, etiamsi suo quodam modo vera.

Consideranti mihi diligentiùs trium istarum proprietatum causam, occurrit eam non tam imputandam esse externis illis rebus, propter quas fides hæc in verbo Christum apprehendit, eoque gaudet; quàm internæ ipsius cordis affectioni malæ: Est enim cor hominis, vt Christus loquitur, terra petrosa, hoc est, neq; bonum, neque honestum est sua natura. Bonitatem hãc & honestatem metimur maximè simplicitate ac sinceritate, quę opponitur hypocrisi & simulationi. Cor igitur hominis occupat profunda hypocrisis sinceritati contraria. Sic autem affectum cor, credit, apprehendit, gaudet, non sincerè, propter veram causam, ob quam ista debet facere: sed propter alias causas, & mundanas. Sequitur ergo istorum malorum causam præcipuè in ipso corde delitescere. Quamobrem si quis

nolit esse Temporarius, ante omnia attendat ipse ad suum cor, ipsumque diligenter interdiu ac noctu excutiat, atque examinet, tantisper dum sentiat fidem Christi radices suas agere in imo cordis, totumque cor, quoad ejus fieri potest, penitùs occupare.

Ex his quæ diximus de proprietatibus hujus fidei, deque earum causa; deprehenditur nota, qua quis internoscat veram fidem ac justificantem à temporaria. Est autem ea, vt verbo dicam, sinceritas in agendo, in credendo, apprehendendo, gaudendo, omnia denique in vita quotidiana faciendo: Sinceritas autem ex eo cognoscitur, si omnia fiant & gerantur à nobis propter Deum & propter Christum, siue ea parvi sint momenti, siue magni. Siue editis, sive bibitis, siue quid facitis, omnia facite ad Dei gloriam. *1. Cor. 10. 31.*

Ex his quæ dicta sunt facilè est definitionem aliquam hujus fidei colligere: Est enim Fides temporaria Christi cum beneficijs ipsius, mentis cognitio, item voluntatis apprehensio, sed temporaria, vel ad tempus durans. Atq; hæc hactenus de Fide temporaria.

Sequitur miraculosa, quæ tertia est acceptio nominis Fidei impropria. De hac Fide testimonia sunt *Matth. 17.* Si habeatis fidem

quantum

quantum est granum sinapis. *1. Cor. 13.* Si omnem fidem habeam ita vt montes transferam. Ratio nominis hæc est: Vocatur miraculosa, ab effecto suo, quòd efficax sit ad miracula edenda.

Objectum ejus non est nudum verbum generale, quin potiùs specialis promissio, aut revelatio alicui facta de edendo certo aliquo miraculo. Quòd autem nudum verbum generale non sufficiat, ex eo apparet, quòd multi sancti viri habuerint fidem in verbum generale, habuerint etiam justificantem Fidem in promissionem gratuitam, nec tamen miracula edere potuerint. Simon Magus Fide historica credidit in verbum generale, & tamen nō potuit edere miracula: Ideò hanc facultatem voluit pecunia & pretio emere. *Actor. 8. 13.* Nisi igitur ad verbum generale, accedat singularis promissio sive revelatio, non est Fides miraculosa, quæ donum quoddam est Spiritus speciale & extraordinarium. In quo vehementer errant adversarij, qui verbum generale sufficere putant ad hoc vt sit Fides miraculosa. Subjectum ejus est mens primùm intelligens simul & judicans promissionem specialem: deinde voluntas sive cor, id quod promittitur apprehendens.

Naturæ partes sunt notitia cum judicio mentis, apprehensio quædam voluntatis & cordis. Ex his jam dictis, hujus Fidei definitionem hanc colligo: vt sit Fides miraculosa, specialis promissionis, sive revelationis de miraculo edendo, mentis cognitio, & voluntatis apprehensio. Hactenus de Fide miraculosa, omninòque de vera Fidei doctrinâ.

Adversariorum de Fide sententia.

CAP. 31.

SEquitur nunc vt videamus paucis quid adversarij de Fide sentiant. Primùm, diuersas Fidei acceptiones non agnoscunt: vnam tàntùm Fidem tradunt, eamque justificantem appellant, hoc est, vt illi vocem definiunt, disponentem nos ad justitiam posteà suo tempore infundendam. Sic sentit Bellarminus in tractatu suo de Fide.

In doctrina hujus Fidei, quam justificantem vocant, primùm dissentiunt à nobis quòd ad objectum ejus. Objectum Fidei non inficiantur quidem esse Dei misericordiam in Christo Iesu, oblatam in Evangelio, hoc est, esse Evangelium, & promissiones gratuitas de Christo, deque misericordia Dei in ipso. Verùm objectum volunt esse, non tantùm Evan-

gelij

gelij verbum, ſed vniverſum ex æquo Dei verbum.

Ad hanc ſententiam ſuam confirmandam, adducunt definitionem illam Fidei, quæ tradita eſt *Heb. 11.* Fides, inquit Apoſtolus, eſt ὑποστασις rerum quæ ſperantur, & ἔλεγχος rerũ quæ non videntur. Hæc, inquiunt, definitio eſt Fidei juſtificantis: Atqui hæc definitio patet non tantùm ad Chriſtum, promiſſiones Dei, omninòque Evangelium de ipſo; verùm patet ad totum verbum Dei, & omnia quæ verbo Dei continentur: Verbi gratia, patet ad verbum Dei quod eſt de mundi creatione vt apparet ex ver. 3. qui ſequitur eodem cap. Per Fidem intelligimus conſtructum fuiſſe mundum verbo Dei: Hinc cõcludunt Fidem juſtificantem pro objecto ſuo habere vniverſum Dei verbum. Sed ad hæc reſpondemus, non definiri illo loco ab Apoſtolo fidem tantùm juſtificantem, ſed eam definitionem cõmunem eſſe omnibus Fidei acceptionibus, vt ſatis apparet ex illa exemplorum inductione, quæ illo loco & capite ſequitur.

Neque valet illud eorum argumentum quod petunt ex ſerie contextus: Definitur, inquiunt, ea Fides de qua loquutus eſt Apoſt. vltimis verſibus cap. præcedentis, Iuſtus autẽ

ex fide vivet &c. At ibi loquutus est Apost. de Fide justificante, ergo definita est Fides justificans. Respondeo, Definitio hæc, fateor, est Fidei justificantis, sed non ejus tantùm; verùm communis ei cum alijs Fidei acceptionibus: vt cum Fide historicâ,& miraculosâ &c. vt apparet ex inductione quæ sequitur. Cum igitur non sit ista definitio Fidei tãtùm justificantis, sequitur ex hac definitione non confici quod volunt, nempè, Fidei justificantis objectum ex æquo esse vniversum Dei verbum. Sit igitur ejus objectum propriè id quod ipsa apprehendit: id autem est Evangelium,& verbum de Christo.

Deinde in hoc ipso speciali objecto, nempè, Dei misericordia in Christo, à nobis dissentiunt. Nos enim dicimus atque affirmamus, objectum Fidei justificantis esse, non generalem misericordiam tantùm, non generalem promissionem de Christo tantùm, sed multò magis specialem misericordiam, specialem promissionem,: hoc est, misericordiam non promiscuè omnibus, verùm peculiariter mihi vel tibi in Evangelio oblatam. Nam etsi promissiones & sententiæ Evangelicæ generaliter concipiantur; tamen certum est specialiter à singulis accipiendas esse, ac si singulis

lis essent dictæ, verbi gratia: *Ioh. 3.* generaliter concipitur promissio fœderis gratuiti, his verbis, Quisquis credit in Filium non peribit, sed habebit vitam æternam. Generaliter quidem concipitur hęc promissio, verùm particulariter & singulariter à singulis est intelligenda, ac si fuisset dictum mihi, aut tibi; Si tu credideris in Filium, non peribis, sed habebis vitam æternam. Apost. *1. Timoth. 1.* generalẽ hanc sententiam, nempè, Christum Iesum venisse in mundum vt peccatores servaret, nõ secùs accipit, atque si de seipso tantùm fuisset pronunciata: vnde eam ad sese peculiariter applicat, assumens nominatim se peccatorem esse, & concludens, saltem tacitè, Christum venisse in mundum ad se nominatim servandum.

Hujus rei judicium faciendum est ex promissionibus illis specialiter factis in Evangelio certis quibusdam hominibus: vt Paralitico, *Math. 9.* Peccatrici mulieri, *Luc. 7.* Adulteræ, *Ioh. 8.* Zachæo, *Lucæ 19.* Latroni, *Lucæ 23.* Nam Spiritus Christi, dum profertur aliqua generalis promissio vel sententia de Christo, deque ejus misericordia, non minùs nunc specialiter eam applicat singulis, intus in corde cujusq; loquens, quàm tunc Chri-

ſtus viva voce applicavit promiſſiones illas particulares certis quibuſdam perſonis. *Rom. 3.* cum juſtitia Dei dicitur pertinere ad omnes credentes, idque ſine diſtinctione, planè ſignificatur juſtitiam illam cujuſcunque ſortis & conditionis hominibus offerri, adeòq; etiam ſingulis proponi. *1. Tim. 2.* poſtquam monuit pro quibuſvis hominibus orandum, ſubjecit velle Deum omnes ſeruari, & ad agnitionem veritatis venire. Ex quo ſequitur à Deo haberi rationem in promulgando Evangelio, non tantùm confertim vniverſorum; ſed etiam diſtinctè ſingulorum: quam etiam rationem vult ipſe à nobis haberi in precibus noſtris.

Quid multis opus eſt? nam ſi nihil aliud eſſet, quod hoc doceret, Sacramentorum adminiſtratio vel ſola, ſatis argumenti in ſe habet ad oſtendendum miſericordiam Dei in Chriſto, ſpecialiter ſingulis offerri: In ſacramento enim vtroque, ſigilla illius miſericordiæ, ſingulis ſigillatim dantur & offeruntur. Atque hæc ſufficiant ad oſtendendum ſpecialem, quæ dicitur, miſericordiam, objectum eſſe propriè juſtificantis Fidei, contrà quàm ſentiunt adverſarij.

Poſita pro objecto Fidei juſtificantis gene-

rali

rali misericordia, sequitur fidē, ex adversariorū sententia, generalem esse, non autē specialem assensum. Nam cum generalis tantùm est misericordia generaliter Ecclesiæ proposita, non autem particulariter singulis membris ipsius oblata, qui potest singularis aliquis homo sibi vendicare particulariter, quod particulariter non est dictum & oblatum? Sed nos affirmamus Fidem justificantem esse, qua vnusquisq; fidelis peculiariter, nō tantùm assentitur promissioni tanquā de se verę: sed etiam rem promissam corde apprehendit, sibiq; propriam vendicat. Demonstrato enim eo quòd misericordia Dei specialiter offeratur cuiq;, sequitur Fidem oportere specialē esse.

Sed ad hoc quoque ostendendum succurrunt Scripturæ testimonia penè infinita: nos tantùm paucis erimus contenti. *Gal. 2. 10.* Et vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidē Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Vide hîc vt per fidem peculiariter ad sese applicet filiū Dei, vitam ipsius, dilectionem ipsius, denique mortem ipsius: neque est quod quis dicat hoc licuisse Apostolo qui ejus rei extraordinariam aliquam revelationem habuit, nō autem licere vulgo Christianorum: quandoquidem Apost. hoc loco

sustineat personam cujusuis Christiani ac fidelis hominis. *Rom. 8.* Nam mihi persuasum est, inquit, neque mortem, neque vitam, &c. Nota hîc fiduciam specialem & particularem applicationem designari per verbum singularis numeri. Præterea illud quod ex Habacuc citatur ab Apostolo, Iustus ex Fide vivet, satis indicat specialem Fidem: ea enim significatur vnumquemq; justum viuere sua fide, hoc est, speciali assensu, & applicatione justitiæ Dei in Christo. *Mat. 9.* commendata est specialis Fides Paralytico; cui dictum est: Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua. *Ioh. 3.* cùm dicitur, Qui credit in Filium habet vitã æternam, significatur illa ipsa specialis Fides, quæ est vniuscujusque particulariter assentiẽtis, & ad sese applicantis specialiter sibiipsi ob latam vitam æternam. Quid multis opus est? Id ipsum docet illud (*Credo*) quod in Symbolo Apost. reperitur: nam (*Credere*) ibi est, in specie & indiuiduo credere.

Ex generali misericordia, & generali Fide adversariorum, sequitur Fidei particularis ac propriæ gratiæ incertitudo, quam ipsi debere esse defendunt. Nam quod incertitudo sequatur necessariò ex illa generalitate, primùm misericordiæ, deinde Fidei, facilè conspici-

ſpicitur. Cum enim nō ſpecialiter, ſed generaliter miſericordia proponitur & offertur,& generalis tantùm eſt aſſenſus Fidei , quî poſſum ego certus eſſe miſericordiæ illius, quòd certò ad me nominatim pertineat?

Quòd autem Fidei ſit certitudo, contrà quàm illi ſentiunt; primùm facilè apparet ex ijs quæ dicta ſunt de ſpeciali miſericordia, & Fide ſpeciali. Nam cum miſericordia offertur particulariter mihi,tibi &c.& ego viciſſim particulariter ei aſſentior: jam ego certus ſum de hac miſericordia, quod mea ſit,præſertim cū eam jam poſſideam per Fidem, & ſpecialē applicationem. Per Fidem enim inhabitat Chriſtus in cordibus noſtris, hoc eſt,jam poſſidemus Chriſtum,eoque fruimur quaſi præſente. De hac certitudine ſpeciali vide *Rom.4 16*. Ex Fide eſt hæreditas,vt ſit per gratiam,ut firma ſit promiſſio toti ſemini. Et ibidem poſteà ver.18. Qui Abraham contra ſpem ſub ſpe credidit. Sed de hac re locus eſt ad *Hebr. 6.18*. maximè inſignis : Vt per duas res immutabiles in quibus fieri non poteſt ut mentitus ſit Deus, validam conſolationem habeamus qui curſum eo corripuimus,vt ſpem propoſitam obtineamus: Vbi vides Deum promiſiſſe primùm, deinde jurejurando ſeſe obſtrinxiſſe

strinxisse, hoc est, indicasse immutabilitatem consilij sui in nobis servandis per duas res immutabiles, eo fine vt validam consolationem habeamus. Valida autem hæc consolatio nō est nisi ex firmo certoque assensu nostro, quo nos assentimur veritati promissionis divinæ. Si enim vacillet & incertus sit assensus noster, profectò non potest ex assensu existere valida consolatio: deinde vt sit valida consolatio, non sufficit certitudo assensus nostri generalis aliqua, verùm necesse est certitudo assensus specialis, & (vt sic dicam) individualis sit: quamirùm ego certus sum id quod promittitur de me verum esse. Quæ enim potest esse consolatio omninò, nedum valida consolatio, cū ego certus sum promissionem de Christo ad Ecclesiam tantùm in genere, nō etiam ad me ipsum in specie pertinere? Imò verò, ea ipsa re augetur dolor, quòd quis beneficia Christi ad alios pertinere videat, nihil autem ad se.

Verùm vt hoc quod dicimus de certitudine & incertitudine manifestius sit, paulò altiùs nonnihil erit repetendum. In genere itaq; certitudo vel est rei ipsius, vel personæ. De certitudine rei ejusque firma veritate nulla quæstio est. Certitudo personæ rem objectā apprehendentis, nihil aliud est, quàm firmitas

judicij

judicij, siue assensus mentis assentientis veritati alicujus rei vel sententiæ. Quare certitudo nihil aliud est, quàm proprietas quædam judicij, vel assensus mentis nostræ. Cum autem assensus mentis duplex sit, vel generalis, cùm generaliter assentior veritati alicujus sententiæ quod vera sit: verbi gratia, de vniuersa Ecclesia, vel est specialis, cum specialiter assentior veritati alicujus sententiæ, quòd ea vera sit, etiam de me, & de indiuiduo: cum, inquam, duplex sit assensus mentis, sequitur duplicem esse certitudinem, vnam generalem, generalis nimirùm assensus: alteram specialem, specialis nimirùm assensus proprietatem.

Nunc vt ad rem & statum controversiæ veniamus, de generali certitudine non est quæstio: verùm de speciali certitudine assensus specialis, quã vocãt certitudinẽ gratiæ, sive misericordiæ specialis, tota est cõtrouersia. Nos enim certitudinem specialis gratiæ affirmamus atq; defendimus: Illi autem hanc ipsam specialis gratiæ certitudinem oppugnant, sed quibus quæso argumentis? Primùm, inquiunt, in Evangelio nulla vsquam speciali homini vel individuo, specialiter offertur vel promittitur misericordia, Ergo non potest esse certitudo specialis gratiæ. Respondeo, &

inverto

inverto argumẽtum. In Evangelio promittitur & offertur gratia non tantùm in genere vniversis, sed in specie singulis, sicut anteà docuimus: quamobrem requiritur in vnoquoque especialis gratiæ certitudo.

Ad ea quæ diximus de speciali misericordia specialiter singulis oblata, hęc pauca addo quò ea res tota clariùs conspiciatur, & quò ex ipso sensu atque experientia à Deo singulis offerri gratiam discamus. Spiritus Christi est vicarius Christi solus in terris, qui docet nos & instruit in ijs quæ Christus est loquutus, & quæ in Evangelio scripta sunt. Docet autem hic Spiritus non tantùm generaliter promissiones & sententias Evangelij de Christo, ipsiusque beneficijs, veras esse de tota Ecclesia, sed multò magis veras esse de eo homine singulari & individuo, quem ipse intùs docet. Et cum Spiritus adoptionis testatur cum spiritu nostro nos esse filios Dei, vt loquitur Apostolus, *Rom. 8.* Hoc Spiritus sancti testimoniũ non est generale de tota Ecclesia, quòd qui in Ecclesia sunt, filij sint Dei: sed speciale est testimonium de me, de te, quòd ego filius sim Dei, tu filius sis Dei. Præterea. *1. Cor, 1.* de Spiritu dicitur, quod scrutetur etiam profunditates Dei, hoc est, Spiritus qui datur vnicuique

& qui

& qui habitat in vnoquoq; scrutetur illam, quæ in profunditate latet, gratiam atque misericordiam in Christo Iesu, eamque vnicuique innotescere faciat. Nam Spiritus Dei in me habitans revelat mihi quod in ipso Dei corde est reconditum. Iam quæro, vtrùm revelet mihi misericordiam aliquam generalẽ duntaxat, in genere tantùm ad Ecclesiam pertinentem, an verò revelet mihi specialem illã in Deo reconditam misericordiam, ad me pertinentem peculiariter? Profectò, nemo omnium est, cui Spiritus hic in ipso habitans quidquam gratiæ in Deo latentis vnquam revelavit, qui non constãter affirmet per Spiritum sanctum revelari vnicuique misericordiam, nõ quidem generalem, hoc est, nescio quam ideam; sed specialem ad se specialiter pertinentem. Quare mihi tantùm ψυχικοι & animales, non autem πνευματικοι & spirituales videntur isti generalis duntaxat misericordiæ propugnatores: de quibus illud Apostoli verè dici potest, Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.

Secundò, non expedit, inquiunt, vt vnusquisque certus sit gratiæ, justitiæ, salutis propriæ; certitudo enim gignit superbiam, incertitudo verò humilitatem. Respondeo: Certitudo

tudo donum est Spiritus regenerantis, quod in solos electos confertur. Loquor de vera solidaque certitudine speciali, quæ est fidei veræ & justificantis. An igitur citra blasphemiam dici potest, Spiritum sanctum & Fidem justificantem causam esse mali omnium pessimi, hoc est, superbiæ? Quin potiùs incertitudo hominis est planè superbientis adversus Deũ, etiam promittentem & offerentem specialem misericordiam, etiam jurantem.

Tertiò, inquiunt, certitudo specialis misericordiæ, specialis est certorum quorundam hominum prærogativa, quibus Deo visum est revelare extra ordinem specialem & ipsis propriam misericordiam. An igitur specialis prærogativa, quæ nõ nisi certorum est & perpaucorum hominum, in communibus Dei donis est numeranda? Respondeo, falsum est certitudinem specialis gratiæ prærogativam esse specialem certorum quorundam hominum: Nam si fides justificans in bonis & donis cõmunibus quibuscunq; Christianis numeretur, certitudo autem ista specialis sit fidei justificantis, qua fronte audet quis hoc donum specialis certitudinis negare etiã vulgõ Christianorum hominum? An quia certis & pancis aliquot illud est revelatum, quod ipsis remissa

sint

sint peccata sua, vt Paralytico illi, vt peccatrici mulieri, at Zachæo, vt Latroni, ideò hoc certitudinis donum non nisi speciale & extraordinarium est? imò jam diximus non minùs promitti nunc & offerri specialem Dei misericordiã etiam singulis, & individuis, vt mihi, vt tibi, quàm tum olim illis hominibus expressis Christi verbis oblata est.

Quartò, sanctissimi quique, (inquiunt) flebili voce in ipso mortis puncto incertitudinem salutis suę prodiderunt, & quotidie produnt: Ergo non est ea misericordiæ & vitæ certitudo, quam nos dicimus esse. Resp. Multum discriminis est inter id quod est, & id quod esse debet: hoc argumentum tantùm concludit id quod est, hoc est, incertitudinem esse: non autem concludit incertitudinem esse debere, imò contra concludit, non debere esse: Qui enim flent & dolent propter incertitudinem salutis propriæ, eo ipso arguũt, non debere esse incertitudinem: At adversarij incertitudinem salutis propriæ in præcipuis virtutibus Christianis numerant. Deinde respondeo, ex ea ipsa querimonia sanctorum hominum extremam animam agentium, nõ minùs sequi certitudinẽ specialis misericordiæ, quàm incertitudinem. Nam vox ea ex-

istit ex lucta illa, quę est inter Spiritum & carnem, fidem & infidelitatem, certitudinem & incertitudinem. Quamobrem non minùs argumentum est certitudinis, quàm incertitudinis, imò arguit in lucta illa superiorem esse certitudinem.

Quintò, optimi quique, aiunt, possunt deficere à fide & gratia: Ergo quæ potest esse certitudo specialis misericordiæ & salutis? R. Qui fide tantùm & gratia temporaria prædit sunt, ij quidē, & possunt deficere, & deficiūt: at qui fide vera & justificante, ac gratia regenerante donati sunt, neque totaliter, vt sic dicam, nèque finaliter deficere possunt. Id autē fit non ratione ipsorum hominum; sua enim natura propēsi sunt ad finalem & totalem defectionē (qua sunt infirmitate & fragilitate) verùm fit ex natura, vt sic dicam, illius gratiæ & doni Dei, quod datur in Christo Iesu: Dona enim & vocatio Dei ejusmodi sunt, vt ipsū eorum pœnitere non possit. *Rom. 11.*

Sextò, obijciunt Scripturæ testimonia, hęc præsertim quæ commendāt nobis curam, solicitudinem, studium in retinenda & conservanda gratia. Qui stat, videat ne cadat. *1. Cor. 10. 12.* Item *2. Cor. 6. 1.* Paulus hortatur Corinthios ne frustrà gratiam receperint. Chri-

stus

ſtus denique monet vt vigilemus & oremus: vt nihil dicam de ijs locis quibus commenda tur nobis timor, vt *Rom. 11.* Tu per fidem ſtas, ne effertor animo, ſed time, & alibi, Cum timore & tremore operemini ſalutem veſtram. Ex his, inquiunt, & ſimilibus locis ſequitur dubitatio de propria gratia & ſalute: quorſum enim ſic præciperetur, niſi poſſet fieri vt quis deficeret à fide & gratia, ac proinde deberet dubitare de propria gratia & ſalute? Reſpondeo: Ex his & ſimilibus locis ſequitur, non eſſe perſeverantiam in gratia, niſi adſit cura, ſolicitudo, ſtudium retinendæ gratiæ. Nam cura & ſolicitudo Deo ſic ordinante, apponitur gratiæ tanquam cuſtos & vigil, prohibens ne homo incidat in carnalem ſecuritatem, quæ gratiæ inimica eſt: atque ſolicitudo iſta, & cura datur cum gratia, eſtq; ipſa Dei quædam gratia ſpecialis, & gratiæ comes: quæ nũquam ab ejus latere diſcedit: vbi enim eſt gratia, ibi perpetuò eſt aliqua certè ſolicitudo & cura retinendæ illius gratiæ, quę tota nunquã planè amittitur, quemadmodum ipſa gratia nũquam tota planè deperditur. Eſt enim perpetuò ipſi gratiæ proportionalis. Cùm enim magna gratia eſt, ſolicitudo magna eſt: cum verò parva gratia, ſolicitudo parva eſt. Cùm

autem Deus sciat quàm necessaria sit ista solicitudo, quæ gratiæ comes & conservatrix est, ideò toties in Scripturis excitat nos ad solicitudinem, eamque nobis commendat. Atque omnes istæ exhortationes nihil aliud sunt, quàm voces totidem & quasi clamores, quibus solicitudo ista, quam vigilem esse diximus, & custodem gratiæ, excitatur & provocatur ad officium suum faciendum, hoc est, ad custodiendum gratiam, & abercendum securitatem carnalem, quæ inimica est gratiæ, quæque, nisi excubaret solicitudo, ipsam gratiam, vt fidem, regenerationem, justitiam, & vitã, prorsus aboleret. Ergo ex his & ejusmodi locis sequitur solicitudo, non dubitatio, virtus, non vitium. Dubitatio enim in malis pessimis, & Deo atque homini inimicissimis, semper numerata est in Scripturis.

Nunc dicamus de subjecto fidei justificantis quodnam sit illud ex sententia adversariorum. Subjectum fidei statuunt mentem tantùm, & in mente facultatem propriè vnam, quæ est judicandi, siue assentiendi veritati alicujus sentẽtiæ. De voluntate & corde nihil loquuntur, cum tamen fides justificans præcipuè sit cordis, quemadmodum suprà diximus.

Partes

Partes naturæ fidei justificantis non tot faciunt, quot nos. Nam quod ad notitiam, quę prima pars est fidei justificantis, eam, vel non necessariam esse omninò dicũt, vel obscuram aliquam sufficere: id quod primùm hac ratione ostendunt. Duplex, inquiunt, assensus est mentis quo assentimur veritati alicujus sententiæ. Prior assensus est cum ei propter rationem & causam aliquam assentimur: qui vocatur scientia: hic assensus postulat necessariò præcedentem ejus rei notitiam, cujus veritati assentimur. Posterior assensus est, cum non propter rationẽ aliquam, sed propter authoritatem dicentis assentimur veritati alicujus sententiæ: hic assensus fides appellatur: ejus autem rei notitiam cui assentitur præcedentem non requirit, contentus nuda, solaque dicentis authoritate. Ex hac assensus distinctione atque differentia sequitur, inquiunt, in fide non opus esse notitia, cum fides assensus sit quo veritati alicujus sententiæ assentimur, non quidem ratione aliqua & causa, sed dicẽtis authoritate adducti.

Ad hanc rationem respondemus: ac primùm quidem concedimus hanc assensuum differentiam: verùm negamus assensum eum qui fit propter authoritatem dicentis, non o-

pus habere notitia antecedente. Nam vt sit fides justificans, requiritur vt id quod dicitur etiam ab ipso Deo, à nobis aliquo modo intelligatur. Neque etiam id à nobis Deus postulat, vt verbis ac voci ipsius non intellectis, propter authoritatem nudam testantis, assentiamur.

Deinde argumentantur ex definitione illa fidei quæ est *Heb.* 11. Fides est ὑπόστασις rerum quæ sperantur, & ἔλεγχος rerum quæ non videntur. Hic, inquiunt, videmus fidem rerum ignoratarum, vtpote sperandarum, & earum quæ non videntur? At inquam, duo hæc verba ὑπόστασις & ἔλεγχος satis arguunt eas ipsas res quæ sperantur & non videntur, aliquo modo interea præsentes subsistere, & à nobis cõspici. Vnde Paulus *2. Cor. 4.* Dum spectamus, inquit, non ea quidem quæ cernuntur, sed ea quæ non cernuntur. Hic vides etiam ea quæ non cernuntur, neque objiciuntur oculis hisce corporeis, cerni tamen ac spectari oculis fidei spiritualibus. Atque hæc eorum sententia est de fidei notitia, quæ eo spectat vt stabiliatur fides illa, quam ipsi implicitam vocant.

Quod ad assensum illum, quẽ diximus secundam esse partem fidei justificantis, naturam quidem fidei in solo illo assensu, qui est ratione

ratione veritatis, collocant: nam de assensu sive judicio bonitatis nihil loquuntur: & judicium illud veritatis quod statuunt, generale tantùm faciunt: quo nimirùm quis judicat sententiam aliquam veram esse, non de se, sed in genere de tota Ecclesia, cum tamen judicium illud, tam veritatis quàm bonitatis quod fidei est, particulare magis sit, adeòque etiam singulare, quod in Scripturis πληροφορια nuncupatur, vt suprà docuimus.

Quod ad tertiam fidei partem, quam fiduciam cordis appellamus, eam non agnoscunt: Nam fiduciam nihil aliud esse dicunt quàm spem corroboratam, & effectum quoddam fidei, cum tamen fiducia, quæ græcis πεποιθησις dicitur, motus quidam voluntatis & cordis sit non quidem exspectans, verùm in præsentia apprehendens aliquid boni, eoque tanquam præsenti nitens atque gaudens. Præterea, ejusdem sunt originis πιστις & πεποιθησις: vtrũque enim est à verbo πειθομαι, quod persuadere significat. Ad hęc, verbum πειθομαι ab Apostolis passim pro persuaderi, credere, non autem pro sperare accipitur. *Rom. 8.* Πεπεισμαι persuasum habeo, neque vitam, neque mortem, neque præsentia, neque futura, &c. *Phil. 1.* Πεπεισμαι Persuasus sum quod qui incepit in vobis o-

pus bonum,&c. 2.Cor.5. Scientes terrorem illum Domini ἀνθρωποι πειθομεν, homines ad Fidem adducimus. Concedo, nonnunquam capitur nomen πεποιθησεως pro confidentia, quæ fidei est consequens, & fiduciæ quædam proprietas, qua fit vt qui credit, aut fiduciam habet, nitatur eo in quo fiduciam suam collocat. De hac acceptione πεποιθησεως lege Eph.3. 12. In quo habemus libertatem & aditum cũ fiducia ἐν πεποιθησει per fidem ipsius.

Ex his quæ diximus facilè est justificantis Fidei definitionem ex eorum sententia colligere: quibus nihil aliud est fides justificans, quàm qua quis in genere assentitur veritati verbi Dei, idque propter authoritatem dicentis. Quæquidem definitio quid aliud quæso est, quàm generalis fidei notio, & communis omnibus Fidei acceptionibus, quę suprà à nobis adductæ sunt.

Ex hac definitione Fidei justificantis colligunt, & verè quidem, Fidem justificantem posse inesse etiam in impio, & flagitiosissimo quoque: In eo enim potest esse generalis hic assensus, qui ne Dæmonijs quidem negari potest, teste Iacobo. Dæmonia, inquit, credunt, & contremiscũt: Fidem tamen justificantem & veram hanc vocant, licet non viyam. Nam

inter

inter veram & vivam distinguunt. Veram dicunt etiam eam quæ non operatur per charitatem, etiam mortuam: vivam verò vocant eam, quæ operatur per charitatem, tanquam per formam suam, nō autem instrumentum; vnde alio nomine fidem formatam eam vocant.

At nos distinctionem hanc fidei veræ & vivæ planè negamus: veram enim fidem & vivam fidem pro eodem capimus: quemadmodum idem est homo verus & vivus: & ut verus sive vivus homo sic appellatur ab anima siue forma sua: ita quoque vera siue viva fides, sic appellatur ab anima sive forma sua, quæ est sita in πληροφορία & πεποίθησει quā diximus, citra quam fides nihil aliud est, quàm quasi cadaver quoddam, quemadmodum homo sine anima, non tam homo est, quàm cadaver & corpus mortuum.

At illi ex Iacobo cap. 2. versu ultimo, conantur probare fidem etiam mortuam & non vivam, veram tamen esse. Quemadmodum se habet corpus ad Spiritum, ita se habet fides ad opera: Atqui corpus sine Spiritu verum est corpus, licet non vivum: Ergo, fides sine operibus vera est fides, etsi non viua? Respondeo, Sophisma hoc esse: nam comparatio

corpo-

corporis & fidei, quam instituit Iacobus, non est in veritate, verùm in morte: & Iacobus ex illa propositione assumit & cõcludit: At corpus sine spiritu mortuũ est: quare etiã fides sine operibus mortua est. Nã inter fidẽ & corpus hoc discriminis est: Corpus vnũ idemq; & mortuum esse potest & verum: at verò fides non est simul vera & mortua, quemadmodum homo non est simul verus & mortuus. Vt enim homo quiddam compositum est ex corpore suo & anima sua: ita fides cõpositum quiddam est ex corpore quasi suo, & anima quasi sua, cujus quidẽ indices sunt actiones. Quãobrem apud Iacobum comparatio facta est simplicis & cõpositi: simplicis, quod corpus est animæ expers; compositi, quæ fides est. Comparatio autem ea valet in eo in quo facta est, nempè, in morte vtriusq;, non autẽ in alijs. Atq; hæc hactenus de Fide justificãte ex adversariorum sententia: omninòque de doctrina fidei dicta sunto.

De Spe Cap. 32.

FIdem sequitur spes: nam apprehensio illa Iesu Christi cum beneficijs suis, in verbo & sacramentis oblati, quæ fidei est, spem nobis facit nos aliquando Christo præsente fruituros.

ituros. Apostolus *Rom.5.* dicit Experientiam gignere spem, Fide autem experimur, &, vt loquitur Petrus, gustamus quam benignus sit Dominus: quare necesse est fides gignat spē.

Vt igitur de spe dicamus: primùm omniū videndum est, quod sit ejus objectum. Fidei & spei objectum idem est re, nempè, Iesus Christus cum beneficijs suis. *Heb.11.* dicitur fides ὑπόστασις rerum quæ sperantur. Vicissim dici potest, spem esse rerum quæ creduntur, vel quæ per fidem jam subsistunt & exstant aliquo certè modo. Ex his apparet idem esse re fidei & spei objectum.

Ratione tamen differt objectum spei, ab objecto fidei. Præcipuum discrimen est, quòd objectum Fidei sit Christus in verbo & sacramento, sive verbum de Christo, & sacramentum quod ipsum adumbrat: quare objectum Fidei est imago quasi quædam Christi, quæ nobis in speculo verbi & sacramenti inspicienda proponitur. Vnde *2.Cor.3.* dicimur retecta facie intuentes quasi in speculo, transformari in eandem imaginem, nempè, cum ea quam in speculo illo intuemur.

Objectum autem spei, est Christus cum beneficijs suis, non quidem in verbo aut Sacramento apparens, verùm apparens sicuti est,

est,& in sua ipsius,vt sic dicam,persona. Nam spes non est imaginis illius Christi, quam intuemur in speculo per fidem; verùm est ipsius faciei Christi, quam speramus nos visuros tãdem aliquando. *Philip.3.20.* Vnde etiam Seruatorem expectamus Dominũ Iesum Christum. *Tit.2.* Expectantes beatam illam spem, & illustrem illum aduẽtum magni illius Dei, & seruatoris nostri, Iesu Christi. *1.Ioh.3.2.* Quoniam videbimus eum sicuti est: quisquis autem habet hanc spem in eo sitam, hoc est, qui sperat se visurum eum sicuti est. Ex his cõspicitur spem esse faciei ipsius Iesu Christi. Tria sunt quæ versantur circa vnum Christũ, Fides, spes, aspectus: verùm ratione alia atque alia. Nam fides propriè est imaginis ipsius: spes est faciei, sed venturæ & apparituræ: aspectus similiter est faciei, sed præsentis.

Secundum discrimen inter obiectum fidei & spei, ex primo illo consequens est, est autem quod fides sit rerum præsentium, Christi & beneficiorum ipsius; vel potiùs imaginis istarum rerum, quam præsentem intuemur in speculo verbi & sacramenti. Vnde *Hebr.11.* dicitur ὑπόστασις & ἔλεγχος, quæ verba præsentiã eorum quæ creduntur significant. Spes autẽ est rerum futurarum ac venturarum: nam spes

si cernatur, non est spes, hoc est, si sit rerum præsentium, non amplius est spes. Quod enim videt quis cur & speret? *Rom.*8.24. Præterea spes est faciei ipsius, quæ nondum videtur.

Tertium discrimen ex primo quoque sequitur. Nam fides est rei ex parte tantùm, cũ sit imaginis, & quasi vmbræ: &, vt sic dicam, arrhabonis, quæ pars est summæ: Vide *1. Cor. 13.* Ex parte cognoscimus. Spes verò est rei totius, est faciei, est complementi, est denique perfectæ summæ, cujus spem nobis facit arrha illa, quam fides apprehendit. Atque hæc de objecto spei.

Sequitur subjectum, quod non est mens aut mentis aliqua facultas, sive ea intelligendi, sive judicandi sit: non item voluntas quæ rationalis est; nam in his sedem suam posuit fides Spes autem contenta inferiori quasi subsellio subsidit in corde. Est enim cordis affectus, quemadmodum metus qui ei opponitur. De natura ejus vt dicamus, non est notitia, non est judicium sive assensus, non est denique apprehensio sive fiducia: ista enim omnia fidei sunt, sed est expectatio quæ fidem sequitur, & per fidem gignitur.

Proprietas spei est, non certitudo propriè

quæ

quæ est fidei, siue assensus illius qui est in fide; Fides enim propriè certa dicitur: Spes autem non propriè certa dicitur, verùm certa dicitur propter Fidei certitudinem. In Scriptura reperio ὑπομονὴν patientiam, spei attributam esse tanquam ipsius proprietatem quandam. *Rom. 8. 25.* Si verò quod non videmus, speramus, nempe, per patientiam expectamus. *Heb. 6.* de Abrahamo dicitur quod cum patienter expectasset, promissum sit assequutus. *1. Thes. 1. 3.* mentio fit ὑπομονῆς τῆς ἐλπίδος tolerantiæ spei, vel tolerātis spei. Est autē hęc ὑπομονὴ, qua spes sustinet omnes incursus atq; impetus rerū adversariarū, & quasi manet sub ijs. Promissiones enim rerū cœlestiū factæ sunt omnes cū exceptione temporaliū afflictionū. Quāobrem quisquis sperat se assequuturum res illas cœlestes promissas, necesse est se comparet ad ferendas & sustinendas omnes calamitates quæ in hac vita incidunt. Quamobrem patientia spei adeò necessariò conjuncta est, vt non possit esse spes sine ea.

Ex his quæ diximus colligi potest spei definitio: vt sit spes patiens cordis expectatio quę est faciei, sive complemēti promissionis. Notandum definitionem hanc esse spei vt nomē hoc accipitur pro opere & functione spei, quę

propriè significat cordis affectum,& eum qui dem sanctificatum;neque id tantùm, sed etiã evectum supra naturam . Neque enim dum regeneramur per Spiritum Christi,tantùm re cuperamus deperditam illam in Adamo natu ræ sanctitatem: verùm in regeneratione non est facultas mentis, vel affectio cordis nostri, cui non inditur ἐνέργεια, vel qualitas aliqua su pernaturalis,ad exercendas functiones super naturales. Regeneratio enim nostri non tam fit ad imaginem illam quæ in Adamo fuit ante lapsum sancta & integra,quàm ad imaginẽ Christi. *1.Cor. 15.49.* Gestabimus etiã imagi nem cœlestis subaudi hominis: Vnde motus cordis nostri inenarrabiles & ineffabiles vo cantur. *Rom. 8.* Suspiria inenarrabilia dicun tur. *1.Pet. 1.* Gaudium vocatur ineffabile & glorioſum: & facultates mentis atque affecti ones cordis regenitæ feruntur in ea quæ sunt incomprehensibilia, & quæ per naturam etiã sanctam Adami comprehendi,credo,non po tuerunt : vt sunt inperveſtigabiles illæ opes Christi. *Eph. 3.8.* vt est charitas illa Christi omni cognitione superior, ibidem *19.* vt sunt illa quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt. *1. Cor. 2.9.* Sed de his jam diximus in doctrina de Fide.

Hoc

Hoc postremò de spe observandum, quòd plures sint ipsius gradus: est enim spes quædam intētior, quæ ἀποκαραδοκία vocatur ab Apostolo *Rom. 8. 19.* vbi habes ἀποκαραδοκίαν, sive solicitam observationem creaturæ. *Phil. 1.* Paulus ἀποκαραδοκίαν, sive intentā expectationem suam profitetur. Atq; hæc de spe ex nostra sententia.

Quid de ea sentiant adversarij paucis admonebimus. Objectum spei statuunt eas res quæ peculiariter ad sperantem pertinent: hoc enim discrimen faciunt inter spem & fidem, quod fides sit generalis misericordiæ, nō propriæ: spes verò sit propriè. Sed discrimen hoc falsum: nam tam fides quàm spes est propriæ gratiæ, ac misericordiæ. Subjectum spei nobiscum dicunt esse cor: virtutem enim cordi infusam tradunt spem esse.

Naturam ponunt non in cognoscendo, non in judicando, sed in expectando. Bellarminus discrimen facit inter sperare, & expectare. Speramus (inquit) quæ non certò scimus nos assequuturos esse: expectamus verò quæ certò scimus nos consequuturos. Vnde beatæ animæ in cœlis dicuntur expectare resurrectionem corporum suorum, quia certò sciunt eam futuram. Sed Paulus *Rom. 8.* pro

eodem

eodem videtur sumere sperandi & expectandi verbum. Si quod non videmus speramus, nempè igitur per patientiam expectamus. Vides Paulo idem esse ἐλπίζειν & ἀπεκδέχεσθαι.

Proprietatem spei faciunt certitudinem: spem enim certam esse dicunt. verùm hanc certitudinem intellectus esse docent. Nam intellectus est qui certò scit salutem obventurã: & propter certitudinem intellectus, spes dicitur certa, & cor sperat certò futuram salutem. Ergo certitudo hęc non est propriè in spę, sed spes eam præsupponit. Certitudinem hanc non simplicem & absolutam esse dicunt: Nemo enim (inquiunt) simpliciter & absolutè certus est de salute sua, vel certò scit se salutem consequuturum: imò contrà spei incertitudinem simpliciter & absolutè esse tradunt: & qui sperat (inquiunt) simpliciter & absolutè incertus est de salute sua: certus autẽ est de salute sua is qui sperat, nõ simpliciter & absolutè, verùm κατά τι secundum quid, & aliquo respectu: Primùm, respectu fundamenti spei, hoc est, promissionis Dei quæ fallere non potest, & propter quam, si non essent aliæ certitudinis causę, simpliciter & absolutè dici posset quis certus esse de salute sua. Verùm cum sint aliæ certitudinis causæ præter promissi-

onem Dei, non potest quis simpliciter & absolutè certus esse de salute sua, propter solam promissionem Dei, ipsiusque infallibilem veritatem. Deinde certus dicitur aliquis de salute sua respectu charitatis, quam dicunt esse spei formam: Qui enim habet charitatem hac ex parte & hoc respectu, certus est de sua salute: nã charitas est certa salutis causa: & si fieri possit vt quis nunquam excideret charitate, vel propter eam solam posset esse certus simpliciter & absolutè de salute sua. Verùm cum possit quis excidere charitate, eamq; amittere, ideò ne propter charitatem quidem simplex est spei certitudo. Hæc est ergo eorum sententia spem similiter incertam esse, certam autem esse aliquot respectibus: primùm respectu promissionis, deinde respectu charitatis ac proinde certitudinem spei admixtam esse perpetuò incertitudini. Nam quo tempore certa est propter promissionem Dei, eodem tempore incerta est propter alias causas quæ in nobis ipsis sunt: vt ratione resipiscentiæ nostræ, ratione operum & meritorum nostrorũ, quæ requiruntur quoque ad spei certitudinẽ efficiendam. Rursus quo tempore certa est propter charitatem, eodem tempore incerta est propter mutabilitatem illius charitatis.

Hæc

Hæc est eorum sententia.

Nos autem sic statuimus certam dici spem propter fidem antegredientem, & fidei πληροφοριαν. Nam certitudo propriè est fidei, & fides est qua certò scimus singuli salutem ad nos pertinere: Hinc firmitas spei, ejusque certitudo. Deinde certitudinem hanc spei, quæ est propter fidem, dicimus simplicem & absolutã esse: negamusque spem hoc respectu certam esse, illo autem respectu incertã esse, id quod isti dicunt: sed affirmamus omni respectu eã certam esse, saltem esse debere, respectu promissionis Dei, respectu charitatis, omninòq; regenerationis, respectu perseverãtiæ nostrę, & sic de cæteris: Nam omnia ista certa sunt ac solida quibus spes nititur, & propter quæ certa dicitur; nitunturque ista Dei ipsius immutabilitate, sive ea extra nos sint, vt Dei promissio; sive in nobis sint, vt charitas, omninòque regeneratio: Gratia enim semel data in Christo Iesu totaliter, ut sic dicam, & finaliter amitti non potest.

Adversarij causam aliquam certitudinis in nobis nostrisque viribus, & in operibus atq; meritis collocant. Ideòque non mirum est si dicant spem non esse simpliciter, absolutèq; certam: Nã profectò his rebus in quibus ipsi col-

si collocant causam certitudinis spei aliquam imò præcipuam, nihil incertius.

De spei absoluta certitudine testimonia Scripturæ sunt. *Psal.31.* In te Domine speravi, non confundar in æternum. Qui confidit in Domino sicut mons Sion in æternum non commovebitur. *Rom.5.* Gloriamur sub spe gloriæ Dei. Et posteà, Spes non pudefacit. *Rom.8.* Spe servati sumus. *Philip.1.* Secundum intentam expectationem, & spem meã, quòd nulla in re pudefiam. *Rom.9.* Omnis qui credit in eo non pudefiet. Atque hæc de spe hactenus.

De Charitate. Cap.33.

IN præcipuis Fidei effectibus proximè secundũ spem, numeratur charitas: & Paulus *1.Cor.13.* tria præcipua Spiritus sancti dona simul numerat, fidem, spem, charitatem. Tria sunt, inquit, fides, spes, charitas, maxima autẽ horum est charitas. Hæc quæ conjunxit Apostolus, nos non sejungimus, præsertim cum amor Dei vinculum quoddam sit, vnà cum vinculo illo fidei, quod primariũ est ac principale, nos cum Deo vniens. Atque ideò Petrus κοινωνίαν cum Christo absente collocat in dilectione & fide. His adducti rationibus nos tertio post fidem loco, in doctrina vocationis effi-

efficacis, de charitate agimus.

Exiſtit autē charitas ſive dilectio ex illa tam ſuavi apprehenſione, & quaſi guſtu Domini: Guſtus enim ille excitat in corde ineffabilem amorē Domini,&,propter ꝺominū,proximi: excitata per fidē jam charitas, evadit fidei inſtrūmētū,per quod ipſa operatur alia quoque Spiritus ſancti dona, vt ſciētiæ, vt prophetiæ, vt linguarum donū,ut miraculorum donum. Sunt iſta quoq; totidem fidei juſtificantis inſtrumenta & organa, per quæ ipſa operatur, verùm primarium fidei inſtrumētum eſt charitas. Vnde *Galat.5.* dicitur fides per charitatē agere, & charitas cum ſuis operibus omnium ſignorum & teſtimoniorum fidei certiſſimū eſt ſignum ac teſtimonium.

Hæc ſi comparetur cum alijs donis Spiritus ſancti,omnibus eſt præferenda, tertium enim locum obtinet poſt fidem. Ergo ſi fidem & ſpem excipias, charitas inter dona Spiritus ſancti primum locum obtinet,eſtque ſequentium donorum omnium quaſi anima. Ideòq; Apoſt.*1.Cor.12.13.* poſteaquam varia Spiritus ſancti dona recenſuit,dixit ea abſque charitate vel mortua eſſe, vel nihil eſſe, vel nihil prodeſſe: quo ſignificavit omnes alias virtutes nihil ſolidi in ſeſe habere, ſi à charitate ſe-

parentur: verùm esse tantùm virtutum quædam simulachra. Non immeritò igitur dicetur charitas aliarum omnium virtutum sequẽtium esse anima.

Hac charitatis prærogativa si contenti fuissent adversarij, non aberrassent: verùm cum eam quoque fidei animam & formam faciant hîc graviter peccant, cum potiùs è contra fides sit charitatis anima, cum citra fidem non sit in homine nisi charitatis quoddam simulachrum. Quare tum charitatis, tum aliarum omnium virtutum principalis anima est fides Christi, sine qua omnia ficta, fucata, denique peccata sunt: Quod enim ex fide non est, peccatum est.

Charitatis objectum primarium idem est cum objecto fidei & spei: quod enim fide primùm apprehendimus, deinde spe expectamus, illud charitate diligimus. Secundarium charitatis objectum est proximus, quẽ propter Dominum diligimus. Subjectum charitatis est cor: Corde enim amamus.

Natura ejus non est in cognitione, non est in expectatione, sed in dilectione. In dilectione autem duo sunt: primùm studium conservãdi eam rem quam diligimus: deinde appetitio vniendi, conjungendiq; nos cum ipsa:

Vtrum-

Vtrumq; hoc cernitur in dilectione primùm Dei, deinde proximi.

Proprietates charitatis consequentes multæ enumeratæ sunt *1. Cor. 13. 4.* & deinceps. Nam vbi charitas est ibi virtutum est cumulus: neque charitas vnquam sola est in quoquam, sed comites habet & quasi pedissequas alias virtutes non paucas.

Ex suprà dictis definitio ejus certè aliqua colligi potest: ut sit charitas studium conservãdi rem amatam, sive Deum, sive hominem, cum appetitione vniendi nos cum ea. Est enim charitas illud vinculum, sic enim vocatur ab Apost. quo membra corporis inter se vniuntur: atque etiam suo loco & modo nos cum Deo & Christo vnit, licet fidei præcipuè tribuatur illa κοινωνία Christi capitis, & corporis ipsius. Atque ista ratione justificationem antecedit, estque in efficaci vocatione vnâ cum fide, spe, & resipiscentia. Cujus quidem rei consideratio inter cætera effecit, vt nos in doctrina vocationis, de ea post fidem & spem ageremus: fides enim in qua positam esse dicimus secundam efficacis vocationis partem, inseparabiles quasi comites habet, spem, charitatem, & resipiscentiam. Post quę licet non temporis, tamen naturę ordine se-

quitur justificatio. Alia autem ratione charitas justificationem sequitur, & ad gratiam regenerationis pertinet : Sed de hoc suo loco erit dicendum.

Nunc ut redeamus: definitio illa quam attulimus, est non tam charitatis ipsius, quàm operis & functionis charitatis. Nam charitas propriè affectus est, & quidem sanctificatus: neq; id modò, sed etiam suprà naturam evectus, ad diligendum ea quæ supra naturam sunt, & quæ superant naturalem omnem dilectionem: vt enim fides est eorum quę superant naturalem omnem cognitionem atque apprehensionem, & spes est eorum quæ superant naturalem omnem expectationem : sic charitas est eorum quæ superant naturalem omnem dilectionem. Nam, ut anteà non semel admonuimus, regeneratio ista nostri in Christo Iesu, non tam est ad imaginem Adami eam, quæ fuit ante lapsum, quàm ad imaginem Christi, qui homo est spiritualis & cœlestis, & in quo habemus non tantùm sanctitatem, ut sic loquar, naturalem: sed etiam cœlestem quandam & supernaturalem ἐνέργειαν, & efficaciam inditam omnibus animi nostri facultatibus & affectionibus. Verùm supernaturalis ista conditio nostra nondum conspicitur,

ſpicitur, neque etiam ſatis ſentitur aut percipitur à nobis ipſis, ſed in altera vita conſpicietur, in qua demùm geſtabimus imaginem cœleſtis illius hominis, *1.Cor.15.49.* Nunc filij Dei ſumus, ſed nondum patefactũ eſt quod erimus: ſcimus autem fore ut cum ipſe patefactus fuerit, ſimiles ei ſimus. *1.Iohn.3.2.*

Adverſarij toti ſunt in prædicandis laudibus charitatis, atque etiam nimij ſunt in charitate efferenda. Nam ſpolijs fidei juſtificantis eam ditant: & non ſuis, ſed furtivis coloribus depingunt, dum juſtificationem & ſalutẽ hominis fidei detractam, charitati deferunt: id quod videbimus cum vẽtum fuerit ad doctrinam juſtificationis. Atque hæc hactenus de charitate dicta ſunto.

De Reſipiſcentia. Cap. 34.

FIdem ſequitur Reſipiſcentia, vt effectus cauſam ſuam. Nam dolor ille, qui eſt ſecũdum Deum, efficitque reſipiſcentiam, fidei fœtus eſt, id quod poſteà videbimus. Hujus beneficij varia ſunt in varijs linguis & idiomatis nomina. Hebrei vocant [TESCHVBHAH] Græci μετανοιαν & μεταμελειαν appellant. Μετανοια eſt à verbo μετανοειν quòd ſignificat poſt factum ſapere, ſententiam retractare, conſilium immutare

immutare, ad sanam mentem redire. Vnde μετανοια est sapientia post factum, sententiæ retractatio, consilij immutatio. Μεταμέλεια est à vocabulo μέλαμελειν, quod significat post factū solicitum esse & anxium: vnde μεταμέλεια est post factum solicitudo, & cordis anxietas. Differt itaq; μετανοια à μεταμέλεια quòd μετανοια propriè sit mentis, μεταμέλεια verò cordis. Differunt etiam quòd μετανοια complectatur totum beneficium resipiscentiæ: (nam mutatio consilij quæ hoc nomine significatur, præsupponit necessariò dolorem cordis, & μεταμέλειαν, hoc est, post factum contritionem & solicitudinē:) Μεταμέλεια verò magis restringatur ad partem tantùm hujus beneficij significandam, nempe primam, quæ est in dolore, contritione, & solicitudine cordis post factū: neq; enim ita necessariū est ut vbi μεταμέλεια est, ibi continuò sit μετανοια: quemadmodum necessarium est, ut vbi μετανοια est, ibi quoque sit μεταμέλεια.

Tertium discrimen tradunt quidam inter hæc nomina, quòd μετανοια propriè, & tantū sit piorum & electorum. Nam soli electi propriè ac verè post perpetratum malum sapiūt, mentem & consilium immutant, ad mentis sanitatem redeunt. Μεταμέλεια verò non solùm

piorum

piorum sit & electorum, sed etiam impiorum & reproborum, in quos cadit post malum perpetratū, cordis solicitudo & anxietas, atque dolor, non quidē propter peccatum admissum, sed propter peccati pœnam. Sciendū autem quòd cum μεταμέλεια impijs tribuitur, hoc nomine intelligatur, non quidem solicitudo & dolor ille qui est secundum Deum, verùm dolor mundi, & dolor qui est ad mortem: hoc enim sensu tribuitur Iudæ *Mat. 27.* vbi dicitur, μεταμεληθεὶς ὁ Ἰούδας. Cum verò pijs tribuitur, significatur eo, non tam dolor qui est propter pœnam peccati, quàm qui est propter ipsum peccatum, & offensum Deum. De græcis appellationibus hactenus.

Latinæ sunt, Conversio, Resipiscentia, & Pœnitentia. Conversio propriè respondet Hebrææ voci [TESCHVBAH] estque verbum quo vsi sunt Prophetæ in veteri Testamento, Converte me Domine & convertar. *Ieremiæ 31.* quemadmodum Christus & Apostoli ipsius in novo Testamento vtuntur verbis μετάνοιας & μεταμέλειας, Resipiscētię, & Pœnitentiæ. Resipiscentia propriè respondet græco nomini μετάνοιας: Nam resipiscere est post factum incipere sapere. Pœnitentia propriè respondet græco nomini μεταμέλειας dicitur

tur enim à pœnitere sive pœna: nam in pœnitentia dolor ille & anxietas cordis pœna est Nomen pœnitentiæ planè eodem modo differt à nomine resipiscentiæ, quo nomen μετα-μελειας differt à nomine μετανοιας. Nam vt de alijs differentijs taceam, nomen pœnitentiæ significat propriè vnam tantùm partem hujus beneficij, nempè dolorem, solicitudinem, & anxietatem post factum: nomen verò resipiscentiæ totum beneficium complectitur: Nã mutatio consilij, & sapientia post factum, necessariò præsupponit dolorem cordis, tanquã efficientem causam. Vetus versio latina vtrũque græcum verbum & μετανοιας & μεταμελειας vbique reddit pœnitentiam.

Adversarij verò pœnitentiæ vocem ubiq; retinendam esse acriter contendunt; nempè ut sacramentum pœnitentiæ, quod vocant, defendant, vel ex ipso nomine suo, positum esse in pœna & afflictione externa & corporali. A nostris magis receptum est nomen resipiscentiæ, quoties hoc beneficiũ volunt significare. De appellationibus itaq; hujus beneficij hactenus.

Partes ejus in genere nominantur: primùm dolor, deinde ex dolore mutatio mentis ac consilij, quæ propriè nomine μετανοιας sive resipiscen-

sipiscentiæ significatur. De dolore igitur & prima resipiscentię parte primo loco erit nobis dicendum. Dolor in resipiscentia duplex est: Primùm est dolor propter pœnam peccati, qui *2.Cor. 7.* vocatur dolor mundi, item dolor qui est ad mortem: Deinde est dolor propter ipsum peccatum & offensum Deum, qui ab Apostolo ibidem vocatur dolor secũdum Deum. De vtroque isto dolore dicamus seorsim.

Doloris igitur prioris qui est propter pœnam, efficiens principalis est Spiritus sanctus, qui *Rom. 8.* vocatur Spiritus servitutis ad metum, hoc est, qui testatur nobis de servili ac misera extra Christum conditione nostra, ac proindè metum & horrores incutit. Instrumentum per quod operatur Spiritus in cordibus nostris hunc dolorem, est Legis prædicatio, cujus compendium est in illo Syllogismo, de quo in doctrina de fide dictum est; cujus quidem propositio est: Maledictus qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in Libro Legis hujus, vt faciat ea. Ex qua assũmit conscientia cujusque: At ego non mansi in ijs: & concludit, Ergo ego maledictus sum. Hinc dolor ille cordis, vel potiùs horror, non tam propter peccatum, quod est in Assumptione,

tione, quàm propter pœnam maledictionis, quæ est in Conclusione. Atque hic est ille qui vocatur conscientiæ stimulus, quo quidē illata illa conclusione, miserum, non tam stimulat, quàm transfigit. Dolor hic qui est ex Lege, nisi interveniret Evangelij gratia, homi nem in desperationem ageret. Atque hæc de priorj illo dolore.

Posterioris efficiens principalis est idem ille Dei spiritus, sed alio modo sese habens, nā jam evadit Spiritus adoptionis, per quem clamamus Abba Pater, *Rom.8.* hoc est, qui testatur de adoptione nostri in Christo, ac proindè dilatat guttur simul & os nostrum, ad Deū familiariter invocandum, tanquam patrem nostrum. Instrumentum per quod operatur Spiritus in cordibus nostris hunc dolorem, est Evangelij prædicatio, cujus summa continetur in illo Syllogismo, de quo diximus in doctrina de fide. Propositio Syllogismi. Qui crediderit justificabitur & vivet: Ex qua assumit fides, At ego credo: & concludit: Ergo justitia & vita ad me pertinent. In hac conclusione est quidem materia lætitiæ, fateor, & ineffabilis gaudij, sed tam verum est in ea esse materiam doloris: qui, cognita jam tanta Dei in Christo misericordia, concipitur propter offensum

offensum tam misericordem & clementem patrem. Est itaque lætitia dolori admixta, & cum gaudio fidei ineffabili ac glorioso conjuncta sunt suspiria inenarrabilia. Sic igitur dictum sit de posteriori illo dolore.

Nunc videndum quomodò vterque affectus sit ad resipiscentiam. Prior ille dolor qui ex Lege est, & propter peccati pœnam concipitur, fateor, non est pars resipiscentiæ & conversionis ad Deum: nam sua natura magis nos à Deo avertit, quàm ad Deum convertit, & re ipsa improbos planè avertit à deo tanquam terribili judice. In resipiscentia tamen usum suum obtinet: nam electos præparat sensu miseriæ suæ, ad gratiam illam & misericordiam, quæ in Evangelio proponitur.

Posterior dolor qui secundum Deum est & per Evangelium efficitur, propriè pars est resipiscentiæ, & efficit mentis illam & consilij immutationem. Vnde Apost. *2.Cor.7.* Dolor qui secundum Deum est efficit resipiscentiã. Hactenus dictum est de prima hujus beneficij parte, quæ cernitur in dolore.

Sequitur altera quæ propriè μετανοια & resipiscẽtiæ verbo ab Apost. vocata est *2.Cor. 7.* Dolorem igitur illum qui est secundum Deum, sequitur insignis quædam mutatio in

mente,

mente, in voluntate, in corde. Primùm autem est mutatio mentis. Quod ad mentis cognitionem sive agnitionẽ attinet, ea præcessit dolorem illũ de quo diximus; & agnitio est primùm peccati & miseriæ per Legem, deinde misericordiæ per Evangelium accensa. Ergo mutatio mentis quæ sequitur dolorem, est facultatis judicantis, sive judicij mentis, quod etiam consilium & propositum mentis vocatur. *Act. 11. 23.* Vt proposito cordis permanerent in Domino. Mutatur autem judiciũ sive consilium mentis in hunc modum: mens malum illud quod perpetratũ est improbat: bonum verò faciendum in posterum approbat. Duæ igitur partes sunt mutationis judicij sive consilij: prima est improbatio mali perpetrati: secunda est approbatio boni perpetrandi.

Post mutationem judicij sive consilij mentis nostræ, sequitur mutatio volũtatis in hunc modum. Voluntas malum illud quod perpetratum est repudiat, sive ab eo declinat, bonũ autem faciendum in posterum eligit, sive ad id inclinat. Duæ igitur sunt partes hujus mutationis: prima est declinatio à malo perpetrato, secunda inclinatio ad bonum perpetrandum.

Mutati-

Mutationem voluntatis excipit mutatio cordis, quę hoc modo perficitur: Cor malum illud jam perpetratum odit atque detestatur, bonum autem perpetrandum amat & persequitur. Duæ igitur partes sunt hujus mutationis: prima est detestatio mali perpetrati, secūda est dilectio boni perpetrandi.

In genere igitur duæ sunt partes μεταvοιας quæ sequitur dolorem: prima est mutatio à malo & peccato commisso, secunda est mutatio ad bonum in posterum faciēdum: Vulgò has partes vocant mortificationem, & vivificationem, sed nescio quam rectè & justè. Mortificatio enim & vivificatio partes sunt propriè regenerationis, quę differt à μεταvοια, vt posteà videbimus.

Ex prædictis quoque intelligimus qui sint termini μεταvοιας, à quo, & ad quē. Terminus à quo est factum malum, sive peccatum commissum: terminus ad quem est bonum faciendum in posterum. Ergo μεταvοια est inter duo facta, præteritum & futurum, eoq; differt à regeneratione, cujus termini sunt, non facta & actiones, sed qualitates, nempè, naturæ corruptio sive vetus homo, sanctitas sive novus homo. Sed de hoc quoq; posteà, cùm agetur de differentia μεταvοιας & παλιγγενεσιας.

Vides itaque post dolorem illum insignem fieri in toto hominis animo mutationem. Vides deinde ex ijs quæ diximus de hoc resipiscentiæ beneficio, resipiscentiam incipere à corde, progredi per rationales facultates mentis & voluntatis, & postremò in cor recidere atq; desinere. Deniq; ex ijs quæ dicta sunt, & ex partium explicatione facilè colligi potest, resipiscentię aliqua definitio ex ipsis partibus sumpta: vt sit Resipiscētia, post factum & malum jam perpetratū, dolor propter offensum Deum, & ex dolore mutatio quædam totius animi à malo in bonum. Effectus resipiscentiæ est in externa vita, utpote vitę emendatio. Edite fructus dignos resipiscentia. *Mat.3.8.*

Quæstio est de Resipiscentia, an sit eadem cum regeneratione, sive renovatione? nam communis Theologorum sententia est, quod non sint distincta reipsa beneficia resipiscentiæ & regenerationis. Nobis tamen videtur discrimen esse inter hæc duo, & ijs quoque vidēbitur, qui volent diligentiùs fines beneficiorum Dei regere. Nam resipiscentia ad locum de vocatione efficaci pertinet, & fidei, quæ est altera pars vocationis efficacis, effectus est. Quotquot enim credunt, ij resipiscūt, mutant consilium, & ad sanam mentem redeunt.

unt. Regeneratio verò initium est glorificationis nostri, & inchoatio novæ creaturæ. Resipiscentia justificationem antecedit, quemadmodum fides & spes. De Baptista enim dicitur, quod prædicaverit Baptisma resipiscentiæ ad remissionem peccatorum. *Marci 3. 4. Luc. 3. 3.* Regeneratio verò justificationem sequitur, justificati enim accipimus Spiritum sanctificationis, quo renovamur, & nova quasi creatio nostri inchoatur in hac vita. Resipiscentia causa est; Regeneratio verò effectus: Ideò enim nos renovat in Christo Deus, & novos homines facit; quia pœnitet nos vitæ pristinę, & post peccatum commissum incipimus sapere. Medio tamen loco inter resipiscẽtiam & regenerationem, intervenit justificatio, qua nos Deus, ex mera sua misericordia, pro justis habet ac censet. Resipiscentiæ nomen includit dolorem, nomen verò regenerationis lætitiam potiùs. Denique resipiscentiæ termini, à quo, & ad quem, sunt facta, malum sive peccatum jam commissum, bonum faciẽdum: Regenerationis verò termini sunt qualitates, inhærens corruptio, & sanctitas quæ introducitur: vetus homo & novus homo.

At dices in resipiscentia est mutatio à ma-

lo ad bonum, mutatio, inquam, mentis & cordis? Respondeo, in ipsa quoque vocatione efficaci & fide incipit animi humani mutatio: omnes tamen distinguunt vocationem & fidem à regeneratione: cur non similiter distinguenda resipiscentia, quę fidem consequitur & efficacem vocationem, à regeneratione? Neque enim omnis mutatio animi humani statim censenda est regeneratio: verùm quædam sunt mutationes animi humani, quæ antegrediuntur regenerationem, & quæ animũ adeoque totum hominem ad regenerationẽ præparant, hoc est, ad novam illam creationem: in quo genere est resipiscentia. Ista sunt distinguenda naturę ordine, non autem temporis: nam eodem tẽporis momento & credimus sive efficaciter vocamur, & resipiscimus, & justificamur, & denique regeneramur.

Quousque possit impius progredi in Resipiscentia.

CAP. 35.

EXplicata jam resipiscentia quę electorum & piorum est propria, videndum est quousque possit reprobus & impius progredi in resipiscentia. Omnium improborum sive impiorum

impiorum non ſtatim eſt vnus idemque progreſſus: verùm ex impijs alij minorem, alij majorem in reſipiſcentia faciunt progreſſum. Primùm dicemus de ijs, qui minimum faciũt omnium progreſſum.

In hos igitur primùm cadit dolor, ſive potiùs horror, qui eſt ex Lege: idque non propter peccatum, vel offenſum Deum propriè & per ſe, verùm propter peccati pœnã propriè, propter peccatum autem per accidens, quia peccatum pœna ſequitur. Poſt dolorem in ijs ſequitur in mente improbatio quædam facinoris perpetrati, verùm propter pœnã: quòd verò ad boni faciendi approbationem attinet eo vſque non perveniunt. Sequitur deinde in voluntate declinatio à malo perpetrato, ſed propter pœnam, interea voluntate ad bonum faciendum non inclinant. Voluntatis iſtam inchoatam mutationẽ, ſequitur in corde mali perpetrati deteſtatio, ſed quę eſt propter pœnam: verùm cor nõ progreditur ad amorem juſtitiæ ſive boni faciendi. Quod ad externam vitam, in ea nulla ſequitur mutatio, ſive emendatio.

In hoc genere fuit Iudas proditor, de cujus pœnitentia lege *Mat.27.* vbi primùm dicitur, quòd Iudam facti ſui pœnituerit. Nota

in hoc verbo dolorem & cordis anxietatem. Tum dicitur eum retulisse triginta argenteos nummos ad principem sacerdotum: ex quo necessariò colligenda est aliqua mentis, volũtatis, & cordis mutatio: ut etiam ex ipsius cõfessione liquet, quia dixit posteà: Peccavi prodito sanguine innoxio: nam vox hæc arguit aliquam peccati improbationem, repudiationem, detestationem, licet non sinceram, sed eam quæ fuit peccati per accidens, pœnæ verò per se. Denique ex eo quod abjecerit argenteos nummos in templum, conspicitur interna aliqua rejectio mali, improbatio, repudiatio, detestatio. Quòd autem nulla vitæ emendatio sequuta sit hanc animi mutationẽ, ex eo apparet, quòd continuò secedens sese strangulaverit.

Sunt alij deinde ex impijs qui paulò majorem isto faciunt progressum in μετανοιαν, & in quos cadit animi mutatio aliqua in bonũ: mentis approbatio boni; voluntatis electio boni; cordis dilectio boni: sed ista non sincera sunt, verùm ex formidine pœnę sunt: Quòd ad vitæ externæ emendationem, eam quoq; inchoant: verùm, ut ait Propheta, Bonitas eorum abit quasi nubes matutina, & ros manè stillans. *Amos 6.*

In

In hoc genere erat Saul, *1. Sam. 15.* Achab *1. Reg. 21.* In hoc quoque genere videtur fuisse Esau: de cujus resipiscentia vide *Heb. 12.* quo loco asscribitur ei hoc ipsum nomen μετανοιας quod propriè electis & pijs tribui solet. Dolor Esau apparet ex lachrymis, quarū ibi mentio fit: Mutatio etiam in bonum aliqua animi apparet ex eo quod dicitur, eum voluisse assequi benedictionē, exquisiviſſe benedictionem: Sed nihil in eo sinceri fuit, nam statim post redijt ad ingenium suum.

Qui autem ex impijs maximum in μετανοιᾳ progressum faciunt, sunt ij qui fidem temporariam obtinent, quorum dolor est etiam ex Evangelio, & agnitione misericordiæ Dei in Christo; animi autem eorum mutatio in bonum est aliquo modo propter ipsum bonum: Nam Dei in Christo suavitatē aliquo modo deguſtant, eoq; delectantur. Quòd ad vitę externæ emendationem, ea in ijs est paulò magis diuturna, quàm in alijs suprà dictis. Est etiam multorum peccatorum emendatio.

In hoc genere videtur fuisse Herodes, de quo *Marci 6. 29.* sic scriptum est. Herodes metuebat Iohannem, sciēs eum esse virum justū ac sanctum, & observabat eum, auditoque eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.

Atque hæc de impiorum in μετανοιᾳ progressu triplici, omninòque de vera resipiscentiæ doctrina.

De Pœnitentia quid sentiant Papistæ.

CAP. 36.

SEquitur nunc ut videamus quid de pœnitentia sua (nam resipiscentiæ nomen respuunt) sentiant adversarij. Ex infinitis erroribus paucos aliquot enumerabimus, & paucis eos refutabimus. Primùm, pœnitentiam sacramentum esse dicunt. At, inquam, quod habet sensibile signum, si sacramentum sit? Respondent signum esse partim actum pœnitentis, partim verba Sacerdotis quibus absolvit pœnitentem. At, inquam, signum in sacramento non tantùm debet esse audibile, sed etiam visibile: oportet etiam sit elementum quoddam, non tantùm ritus: ut in Baptismo & cœna Domini, præter ritus sunt elementa, aqua, panis, vinum. Sed de hoc errore satis.

Deinde vsum pœnitentiæ affirmant hunc esse, ut peccatum mortale post Baptismum admissum aboleat, & ex amico Dei inimicum factũ, rursum amicum faciat, hoc est, justum. Ad hoc respondeo. Ad hominem, qui post Baptismum peccavit, quasi restituendum & repa-

reparandum, non opus esse alio sacramento, quã Baptismo, cujus vis in tota vita hominis perpetua est ad ablutionẽ peccati & regenera tionẽ: Falsum enim est Baptismo tantũ ablui peccata commissa ante ipsum Baptismum, cũ Baptismus ad totam hominis vitam pateat, ip siusque recordatio efficax sit ad remissionem peccatorum & regenerationem, etiam tùm cùm quis agit extremam animam, & è vivis discedit.

Tertiò dicunt in veteri Testamento, & ante Christi resurrectionem, aliam fuisse pœnitentiam ab ea, quæ est post resurrectionem Christi: illam enim non fuisse Sacramentum, hanc verò esse. Respondeo, pœnitentiæ & conversionis ad Deum vna eademque est doctrina, quã omnes Prophetę, Iohannes Baptista, Christus promissus ac missus, & sancti Apostoli prædicârunt.

Quartò, pœnitentiæ principalem efficientem causam tradunt, libertatem arbitrij, & naturæ vires, excitatas per gratiam prævenientem: Gratiam verò tantũ adjutricem & cooperatricem? Respondeo, Imò contra resipiscentiæ principalis efficiens est Spiritus sive gratia; instrumentum verò, sunt facultates animi nostri, non quales sunt natura, sed per

Spiritum

Spiritum sanctificatæ, id quod intelligi potest vel ex uno hoc testimonio. Cõverte me Domine & convertar. *Ierem. 31.* vbi principalis efficientia ipsi Domino, ipsiusque gratiæ tribuitur. De nobis autem dicitur, quòd acti à Spiritu, agamus.

Quintò, pœnitentiam dividunt essentialiter in actus pœnitentis, tanquam materiam, & in absolutionem Sacerdotis, tanquam formam. Respondeo, nullam esse necessitatem cur pœnitentia sic transigatur inter pœnitentem sive confitẽtem peccatorem, & absolventẽ Sacerdotẽ. Potest enim peccator, quẽ pœnitet peccati sui, privatim confiteri Deo suo, & ab eo etiam citra absolutionis aliquã formulam à Sacerdote conceptam, absolvi. Resipiscimus quotidie, neque tamen sic res transigitur, neq; opus est ut sic transigatur, inter peccatorem resipiscentem, & Sacerdotem sive Ministrum absolventem. Quamobrem non est restringenda resipiscentia ad hanc formulam, & ad hunc quasi dialogismum, qui est inter peccatorem resipiscentem, & Sacerdotem absolventem.

Sextò, pœnitentiam dividunt materialiter in Contritionem, Confessionem, Satisfactionem: nam hæ tres partes ad actus pœnitentis pertinent

pertinent, qui actus pœnitentis efficiunt materiam sacramenti pœnitentiæ. Respondeo, quod ad contritionem, quæ nihil aliud est quàm dolor cordis, eam quidem admittimus, sed citra opinionem meriti alicujus, quod ab ipsis contritioni attribuitur.

Quod ad confessionem, primùm dicimus eam non esse propriè partem resipiscentiæ, sed signum externum resipiscentiæ, quæ interiùs in animo peragitur; in signis enim numerantur confessio oris, lachrymę, corporis humiliatio, & alia id genus. Deinde dicimus cõfessionem illam eorum auricularem, in qua oportet enumerentur omnia etiam privata hominis delicta, quantum per memoriam potest fieri, & insusurrentur in aurem Sacerdotis: hujusmodi, inquam, confessionem affirmamus esse inventum humani cerebri, cujus nullum vel mandatum vel exemplum extat in tota Scriptura. Imò verò voluntas Dei est, ut ex privatis peccatis multa, quorum nos ipsi nobis tantùm sumus conscij, celentur, ac de ijs taceatur: quemadmodum ipse Deus operit multitudinem privatorum peccatorum, pro ea, qua nos prosequitur, charitate & misericordia in Christo Iesu. Requiritur tamen vt privatim nos pœniteat, quoties memoriæ

nostræ

nostræ recurrunt.

Quod denique ad satisfactionem attinet, qua, ut ipsi docent, nos per nos ipsi satisfacimus iræ atque justitiæ Dei, idque temporalibus pœnis, pro peccatis à nobis admissis; hãc prorsus damnamus, ut quæ deroget Christi merito & satisfactioni, qua sola satisfit iræ ac justitię Dei pro peccatis nostris. Quod autem ad temporarias istas afflictiones piorum, non sunt eæ quidem satisfactiones pro peccatis eorum, verùm per eas Deus mortificat reliquias istas peccati, & ijs nos ad seriam resipiscentiã stimulat, deterret etiam à peccato in posterũ perpetrando: denique, ut diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, sic hæ nõ tàm pœnæ quàm afflictiones & cruces cooperantur pijs in bonum. Neque valet illa distinctio pœnarum temporalium & æternarum: Nam certum est quòd quicunque temporaliter puniuntur propter peccata sua, hoc est, eo nomine, ij quoque in æternum puniendi sint propter peccata sua. Vnde temporales pœnæ impiorum in hac vita initium sunt æternarum pœnarum in altero sæculo luendarum.

Hæc hactenus de Resipiscentia.

De Libe-

De Libero arbitrio humano.

CAP. 37.

DOctrinam de fide, ſpe, & reſipiſcentia, ſequitur doctrina de libero arbitrio, hac occaſione, quòd nimirùm adverſarij, fidem, ſpem, reſipiſcentiam, ſive, ut ipſi vocant, pœnitentiam, tribuant libertati voluntatis noſtrę tanquam principali agenti, gratię verò ſecundum locum in fide, ſpe, & pœnitentia efficienda aſſignent: Poſtquàm enim, aiunt, à præveniente gratia jam excitatum eſt liberum arbitrium, homo beneficio liberi arbitrij ſui ipſe credit, ipſe ſperat, ipſe pœnitētia ducitur peccati ſui. Quod verò ad gratiam, ea tantùm cooperatrix eſt, inquiunt illi, & adjutrix liberi arbitrij, quod principaliter operatur in credēdo, ſperando, & pœnitendo. Sed ad hoc reſpondimus jam priùs in doctrina de reſipiſcētia, & poſteà reſpondebimus paulò apertiùs. Nunc veniendum ad doctrinam liberi arbitrij, poſteaquam quę ſit occaſio cur locis fidei ſpei, & pœnitentiæ ſubijciamus locum hunc de libero arbitrio, jam vidimus.

Voluntas humana, facultas eſt animi rationalis, proxima poſt mentem, quæ primùm intelligit, deinde judicat. Ejus functio eſt in volen-

lendo,nolendo,eligendo,repudiando,ſuſpẽdendo ea quæ jam priùs à mente intellecta & judicata ſunt. Ejus objecta ſunt, bona ſimpliciter,mala ſimpliciter, ἀδιαφορα. Bona ſimpliciter voco,quę expreſſa aliqua Dei lege jubẽtur. Mala ſimpliciter voco, quæ expreſſa aliqua Dei lege vetantur. Ἀδιαφορα denique,quę nulla lege Dei vel jubentur, vel vetantur per ſe: quòd ſi jubeantur vel vetentur aliqua Dei Lege,id per accidẽs fit, nempè, quatenus vel promovent, vel impediũt ædificationẽ proximi. Hæc voluntatis objecta ſubdivido in fines,& in media ad fines tendẽtia. Functiones voluntatis ſic applico ad fines & ad media: Tàm media,quàm fines dicimur velle & nolle: velle enim & nolle generalia ſunt: mediorum autem tantùm eſt electio, repudiatio, & ſuſpenſio: hæc enim ſpecialia ſunt. De volũtate hactenus pro hujus inſtituti ratione.

Voluntati proprietas quædam aſſignatur quę Latinis vocatur libertas,poteſtas: Grȩcis, ἐξουσια. *Rom.9.* vbi de poteſtate figuli in lutum agitur. *1.Cor.7.* ἐξουσιαν ἐχει περὶ τȣ θελήματος ἀυτȣ: hoc idem eſt ac ſi dixiſſet ἐχει ἐξουσιαν θελήματος; habet libertatem ſive poteſtatem voluntatis. Vulgari noſtro idiomate dicitur *Soveranitie.* Hæc libertas voluntatis eſt poteſtas quaſire-

gia,

regia, & in græco eandem appellationem cũ potestate regia & magistratus sortita est. Vide *Rom. 13.* Omnis anima subjecta esto ὑπερεχούσαις supereminentibus. Propter hanc voluntas in anima humana regina quædam habetur, & ab hac αὐτεξούσιος, hoc est, sui juris, ipsa denominatur.

Est autem libertas, ut ad ejus definitionem aliquam veniamus, qua cum aliquid voluntati tanquam Reginæ cuidam objcitur, sive id bonum sit, sive malum, sive ἀδιάφορον; jam voluntas illud potest suo quodam jure vel nolle, vel velle, vel eligere vel repudiare, vel suspendere. Vnde vulgò à Scholasticis definitur potentia in vtrumlibet, vel in opposita, hoc est, in utramlibet partem contradictionis, vel in contraria, ut sunt eligere, repudirre. Sic vulgò definitur voluntatis libertas: Verùm ego hanc definitionem magis probo, ut scilicet sit libertas voluntatis, respectu rerum bonarum & malarum (nam de ijs controvertitur) sit, inquam, potestas voluntatis, sive jus quoddam ipsius, quo ex interno quodam & suo principio, citra coactionem, vult tantùm quod bonum est, eligit quod bonũ est, non vult quod malum est, repudiat quod malum est. Vno verbo libertas est, potestas ad bonum, non ad malum.

Ego,

Ego, ut probem hanc libertatis definitionem adducor primùm exemplo libertatis ipsius Dei, qui omnium confessione liberrimè vult & facit omnia: Libertas tamẽ Dei nõ sic definitur, ut sit potestas quædam, qua ita vult bonum vt possit illud nolle, qua ita non vult malum, ut possit illud velle: sed libertas Dei est, qua suo jure, & citra coactionem, potest velle tantùm quod bonum est, nolle quod malum est. Deinde exemplo beatorum Angelorum idem patet, quorum libertas est ad bonum tantùm, non autem in utrumlibet: hoc est, non ita volũt bonum ut possint illud nolle: sic enim reguntur & confirmantur à Deo, ut ad bonum tantùm propẽdeat eorum voluntas, & à malo abhorreat. Denique idem ostenditur exemplo Adami, & conditionis ejus quæ fuit ãte ipsius lapsum: Nam tùm profectò voluntatis ipsius libertas fuit ad bonum tantùm volendum, non autem libertas fuit in utrumlibet, hoc est, non ita voluit bonum, ut potuerit illud nolle, nisi potentiam remotam intelligas: Nos autem libertatis nomine propriè propinquam accipimus.

Remotam potentiam eam voco quæ materiæ est consequens, ut est potentia ridendi in corpore humano antequam formam & animam

nimam accipiat. Propinquam voco, potentiam quæ formę consequens est, vt est potentia ad ridendum hominis jam animati: Sic in voluntate humana est potētia remota & quasi materiæ: est etiam propinqua, & quasi formæ: Nos autē, vti paulò ante admonuimus, libertatis nomine non remotam illam, quæ materiæ est, sed propinquam quæ formæ est consequens intelligimus: formæ nomine intelligimus sanctitatem illam, quæ est ad Dei imaginem, & quæ est anima quasi animæ nostræ, & citra quam anima nostra quasi mortua est. Vnde ab Apost. *Eph. 2.* citra hanc sanctitatem dicimur in peccatis & offensis mortui. Ex his concludo libertatem voluntatis propriè esse potestatem, sive potentiam propinquam, & sanctitatis, tanquam formæ, & quasi animæ voluntatis, consequentem: qua fit vt incoactè voluntas tantùm inclinet ad bonum, declinet à malo. Hæc enim libertas voluntatis humanæ est ad similitudinem & imaginem libertatis ipsius Dei.

Libertati huic opponitur Coactio, quæ est ab externo aliquo agente, & contraria est voluntatis naturæ: Voluntas enim non est, si coacta sit, neq; voluntas cogi dicitur, licet homo ipse cujus est ea cogi dicatur. Dico li-

bertati oppositam esse coactionem, non autem necessitatem: Nam quæ liberè volumus, vel nolumus, ea ex necessitate volumus, vel nolumus; primùm ex necessitate divini decreti, deinde etiam ex necessitate formæ adventitiæ ipsius voluntatis, vt sanctitatis, corruptionis, vtriusque: Homo enim cum sanctus erat in creatione, manente sanctitate illa, ex necessitate volebat bonum, nolebat malum: sic beati Angeli ex necessitate quadam volunt bonum, nolunt malum; & tandē glorificatus homo ex necessitate quadam inclinabit ad bonum, declinabit à malo: sic homo corruptus totus ante regenerationem sui, ex necessitate quadam vult malum, non vult bonum; & tamē suo quodam modo liberè vult, licet hæc non sit vera libertas, vt posteà videbimus: denique homo renatus partim ex necessitate vult bonū, nempe, quà renatus est, partim ex necessitate vult malum, nempe, quà corruptus est; vtrumque autem liberè vult: Nam distinguendum est inter necessitatem & coactionem; cum necessitas coactione latiùs pateat, & coactum sit necessarium, non autē è contrà, necessarium sit coactum. Hæc de libertate voluntatis in genere.

Nunc applicanda est ea ad varias hominis condi-

conditiones. Quadruplex omnino ſtatus hominis venit conſiderandus. 1. ſtatus innocentiæ ante lapſum. 2. ſtatus corruptionis poſt lapſum. 3. ſtatus regenerationis. 4. ſtatus glorificationis. De primo itaque ſtatu primùm quæritur, An homo in ſtatu innocentiæ habuerit libertatem voluntatis? Reſp. Si libertatis priorem illam definitionem ſequaris, quę eſt potentia in vtrumlibet, habuit quidē, fateor, in adiaphoris libertatem, in rebus verò bonis ſimpliciter & malis, non habuit homo in ſtatu innocentiæ eam voluntatis libertatē, qua, cum voluit bonum, potuit illud nolle, cum noluit malum, potuit illud velle: niſi potentiam remotam intelligas: nam potentiam propinquam ad bonum tantùm habuit, propter formam ſanctitatis & bonitatis in voluntate, quæ fuit ad Dei imaginem. Sin ſequaris poſteriorem libertatis definitionem, quę eſt, cum voluntas ex interno ſuo principio, citra coactionem externi agentis, fertur in id quod bonum eſt tantùm: ſi, inquā, hanc definitionem ſequaris, reſpōdeo hominem in ſtatu innocentiæ libertatem voluntatis habuiſſe.

De ſecundo ſtatu hominis quæritur, an homo in ſtatu corruptionis habeat nunc vo-

luntatis libertatem? Resp. si priorem libertatis definitionem sequaris, non nego quidem eum in adiaphoris abere libertatem: At in rebus simpliciter bonis & malis non habet eam: Nam homo qui totus corruptus est, nõ ita vult malũ, vt possit illud nolle: nec ita non vult bonum vt possit illud velle: nisi potentiam intelligas remotam: Nam in homine corrupto potentia propinqua voluntatis ad malum duntaxat est, propter formam corruptionis & impuritatis, quæ totam voluntatem occupat: Sin posteriorem libertatis definitionem sequaris, profectò libertatem voluntatis illam, quæ est ad imaginem libertatis Dei ipsius, estque potestas sive potentia propinqua, qua citra coactionem fertur ad id duntaxat quod bonum est, homini corrupto & ipsius voluntati tribuere non possumus. Potestas enim ad malum libertas verè dici non potest, quin potiùs servitus quædam est dicenda: Et re vera hominis non renati, non liberum, sed servum est arbitrium: Quia autem vult non renatus malum, non coactè, sed sponte sua, aliquo modo libertatis nomen ipsius voluntati potest attribui.

Hîc adversarij à nobis dissentiunt, & libertatem voluntatis homini non renato adscribunt,

ſcribunt, qua etiam potentia propinqua bonum velle poteſt, licet ante prævenientem gratiam hęc libertas ſive potentia propinqua conſopita jaceat: eſt tamen, inquiunt, reipſa, quēadmodum homo conſopitus homo eſt, & vivus eſt. Ex hoc ſequitur neceſſariò, aliquam in voluntate hominis non renati ſanctitatem, & rectitudinem eſſe: Nam non eſt potentia voluntatis propinqua ad bonum, niſi præſente ſanctitatis & rectitudinis forma, quæ eſt quaſi anima voluntatis, efficitque potentiam hanc propinquam in voluntate, ad bonum.

Bis igitur errant: Primùm ideò, quòd aliquam ſanctitatem & rectitudinem in voluntate hominis non renati poſt lapſum reliquā eſſe volunt: Deinde quòd potentiam voluntatis propinquam, quæ præſentiam formæ ſanctitatis neceſſariò ſequitur; potentiam, inquam, propinquam ad bonum, in voluntate eſſe volunt: Nam quòd ad ſanctitatem & rectitudinem, certum eſt eam vniverſam deperditam eſſe in lapſu hominis, & per Chriſtum Ieſum totam, quantacunque eſt, reparari, & quaſi denuò creari: vnde nova creatura vocatur: quæ, ſi aliqua ex parte vetus eſt, cur nova dicitur? et ſi remanſerit poſt lapſum

in homine aliqua sanctitas, quæ anima est animæ nostræ, cur homo post lapsum ante regenerationem prorsus mortuus dicitur, non semi-mortuus? Testimonijs Scripturæ, quæ pro hac re afferri possunt infinita, nunc supersedemus. Quod ad libertatem, sive potentiam propinquam, quam ascribunt voluntati hominis non renati, quot Scripturæ testimonia eam refellunt? *Iohn. 6. 44.* Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. *Rom. 8. 7.* Legi Dei non subjicitur, nam ne potest quidem. *1. Cor. 2. 14.* Animalis homo non est capax eorum, quæ sunt Spiritus Dei; sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere. Hæc Scripturæ loca, & alia hujusmodi, intelligenda sunt de potentia propinqua quæ est ad bonum; quam ideò negat Scriptura homini corrupto, quia nulla prorsus in eo est sanctitas post lapsum reliqua: Nam quod ad potentiam, quam diximus remotam esse etiam ad bonum, quæ materiæ non formæ consequens est, nos non negamus eam esse in voluntate hominis non renati: quæ & ipsa statim fit ex remota, propinqua, vbi primùm introducta est aliqua sanctitas in voluntatem hominis, per Spiritum Iesu Christi: Cum itaque remotam hanc potentiam

tentiam relinquamus voluntati hominis non regeniti, hoc est, materiæ quandam potentiam, non est quòd adversarij objiciant nos ex hominibus totidem stipites & truncos facere, dum negamus ijs libertatem, quam vocant, arbitrij: nam materiæ hæc potentia ad bonum, quã nos concedimus voluntati hominis non regeniti, non est in stipite & in trunco.

Sciendum est hoc loco, quod dum negamus nõ renato potentiam propinquam, hoc est, libertatem ad bonum, nomine boni intelligamus bonum, quà est bonum: nam etiam non renatus potest velle id quod bonum est in se, ut conservationem patriæ, justitiam, æquitatem, &c. Verùm id quod in se bonũ est, malum fit quodam modo respectu hominis non renati, qui non bene vult id quod bonũ est in se, hoc est, neque eo modo, neque eo fine vult, quo debet illud velle, cum ipse non sit bonus & mundus: Immundis autem omnia immunda, ut mundis omnia munda.

Sciendum rursus est, nos in hoc negotio libertatis arbitrij, eandem rationem facere bonorum cujuscunque demum generis, sive ea naturalia sint, sive humana & civilia, sive denique spiritualia: nam ad nullum bonum, quà

bonum est,& Deo gratum,ipsiusque legi cõsentiens libertatem sive potẽtiam propinquã habet homo non renatus, licet natura magis aliena sit ejus voluntas ab illis spiritualibus, quorum animalis homo nõ est capax, & quę, ut ait Apostolus,non potest cognoscere, imò ipsi stultitia sunt. Spiritualia bona voco fidẽ, spem,resipiscentiam, justificationem, vitam denique æternam. Non est igitur quòd adversarij fidem, spem, resipiscentiam asscribant libertati voluntatis nostræ,hoc est, viribus naturalibus,tanquam principali earum efficienti: Quasi verò nos natura duce & potẽtia sive libertate naturali,credamus,speremus,& convertamus nos ad Deum.

Quò autem hæc res manifestior evadat, duo esse rerum bonarum genera intelligendum est: unum est rerum bonarum humanarum, alterum est rerum bonarum divinarum & spiritualium. Res bonæ humanæ vel Ethicæ sunt,& ad privatum quemque pertinent; vel œconomicæ sunt, & ad familiam pertinent: vel denique politicę sunt,& ad universam Rempublicam & civitatem spectant. Res bonas spirituales voco,ut fidem,spem,resipiscentiam,justificationem,sanctificationem,vitam æternam. Ad utrumque hoc rerum bona

rum

rum genus, voluntas humana nõ est similiter affecta: nam ad res humanas, sive humana bona, paulò propensior est: verbi gratia, ad temperantiam, fortitudinem, liberalitatem, justitiam, natura inclinat: licet hæc ipsa quæ in se bona sunt, neque eo quo debet modo, neque eo quo debet fine, velit, & eligat: quò fit, ut ea quæ in se bona sunt, non renati respectu, mala fiant, & peccata. Quòd ad res spirituales, voluntas humana ab ijs alienior est, & cum sese offerunt voluntati, ipsa ab ijs natura tota abhorret.

Res hæc exemplo & experientia evadet manifestior. Duo quædam sunt bona, nempè, justitia per opera, & justitia per fidem, quæ Dei justitia vocatur: omnes nos experimur volũtatem natura propendere ad justitiam illã quę est per opera, & quę humanum quoddam bonum est: hinc fit ut hodierno die totus fere mundus naturam sequutus, quærat justificari per opera bona: At verò voluntas eadem abhorret tota à justitia illa quæ est per fidem, cum spirituale quoddam bonum sit: hinc fit ut tam pauci quęrant justificari per fidem, solamque Dei in Christo misericordiam.

Ex hoc & alijs similibus exemplis patet voluntatem humanam, ad bona quidem humana

na naturâ propensiorem esse, à bonis verò spiritualibus totam abhorrere: licet ipsa ad nullum omninò bonum quà bonum est, propendeat: nam ne ad hæc ipsa quidem humana bona, quà bona sunt, & Deo grata propendet cum neque eo modo, neque eo fine quo debet, ea velit'. Quatenus igitur ea vult quæ in se bona sunt, peccata sunt, Deoque ingrata. Differunt tamen ab ijs malis & peccatis, quæ etiam in se & essentia sua mala sunt, cujusmodi sunt homicidium, adulterium, furtum &c. in quibus fateor, plures sunt peccati gradus: In his enim peccatur & in essentia ipsarũ rerum, & in modo agẽdi, & in fine: & ad hæc propensior est naturâ suâ voluntas hominis non renati, quàm ad ea, quæ in se bona sunt. Primũ enim, prono impetu fertur ad ea quę in se mala sunt: deinde propensionem aliquã habet ad res humanas in se bonas: postremò, à rebus bonis spiritualibus tota abhorret ante regenerationem. Rursus concludo, humana bona quatenus ea vult homo non renatus, mala fieri quodam modo, & hominem non renatum in ijs expetendis peccare; id quod etiam verum est in adiaphoris, quæ in se neque bona neque mala sunt: Nam quatenus ea vult homo non renatus, eatenus mala fiunt, & pec-

car

eat non renatus dum vult, & expetit etiam quod sua natura indifferens est, quia id vult, neque eo modo, neque eo fine quo debet.

Nunc de statu regenerationis quæritur, an homo renatvs habeat hanc voluntatis libertatem? Resp. Si libertatem definias potentiam in utrumlibet, primùm in rebus adiaphoris dicimus eum habere hanc libertatem: deinde in rebus quoque bonis & malis hanc libertatem illi non negamus: nam cùm duplex sit actus, & duplex forma voluntatis hominis renati, forma sanctitatis, & forma corruptionis; primitiæ novi hominis, & reliquiæ veteris, necesse est duplex sit potentia etiam propinqua voluntatis ipsius: una quæ est ad bonum, altera quæ est ad malum: ut mihi videatur recepta hæc definitio libertatis maximè competere in libertatem voluntatis hominis renati. Sin verò libertatem definias ex incoacta potentia, quæ est ad bonum tantùm, non etiam ad malum, profectò ne homo quidē renatus sic liber est: verùm progressum duntaxat facit ad libertatem suam, quæ in altera demùm vita perfecta futura est.

Postremò de statu glorificationis quæritur, An homo cum in statu glorificationis erit, habiturus sit hanc voluntatis libertatem? Resp.

Si

Si libertatem definias potentiam in utrumlibet, etiam in rebus bonis & malis, homo cum in statu glorificationis erit, non habebit eam: Nam potentiam propinquam ad bonum tantùm habebit propter formam illam sanctitatis, vel gloriæ potiùs, quàm tum induet ipsius voluntas. Non nego in eo quoque futuram potentiam remotam ad malum, propter necessariam creaturæ mutabilitatem: verùm remota hæc potentia, propinqua nunquam futura est: quia Deus eum in æternum confirmaturus est, & sustentarurus in illo gloriæ statu. Sin verò posteriorem illam definitionem libertatis sequaris, profectò glorificatus demùm verè liber futurus est. Nam tantùm id quod bonum est, Deoq; acceptum volet, idque incoactè, & in æternum. Libera voluntate fuit homo in statu innocentiæ secundum imaginem divinæ illius libertatis: verùm in statu glorificationis, in quo magis Dei sui imaginem referet, & gestabit imaginem cœlestis illius hominis Christi, multò liberiori erit voluntate, & ad id quod bonum est tantũ multò propensiori. Atq; hæc de libertate voluntatis hactenus, hoc est, de voluntatis illa proprietate, sive insita qualitate.

Nunc dicendum est de libero arbitrio. Licet

cet sint qui arbitrij verbum ad mentem referant, ut sit arbitrium nihil aliud, quàm mentis judicium, quod voluntatis functionem liberam antegreditur; liberi autem vocem, ad voluntatem pertinere dicant; tamen ego existimo arbitrij nomine magis intelligendum esse voluntatis ipsius placitum, hoc est, accipiendum esse hoc nomine voluntatis functionem quæcunque ea sit, sive velit ipsa, sive nolit, sive eligat, sive repudiet. Huic voluntatis placito tribuitur libertas, & liberum dicitur, quēadmodum ipsa voluntas libera vocatur. Proprietas enim causæ de effecto & actione ejusdem causæ etiam prædicatur. Est itaque liberum arbitrium, nihil aliud, meo judicio, quā placitum volūtatis, quod est citra coactionē, quodque profectum est à principio quodam voluntatis interno, non autem ab externo aliquo cogente.

Quæri potest, Annon cum liberè fungitur voluntas suo munere, in libere volendo aliquid vel nolendo; annon, inquam, hic sit mēti locus aliquis? Respondeo, objectum illud quodcunque circa quod versatur voluntas, ipsiusque libera functio, primùm monstrari & judicari à mente. Iudicium autem mentis duplex est: primùm simplex & ἀφλικον, vt cum abs-

absque discursu aliquo, & ratiocinatione judicat bonum esse, malum esse, sequendum esse, fugiendum esse. Mentis hoc judicium est de fine, & medio aliquo ad finem tendente, quod unicum est ac solum. Deinde judiciū mentis est διανοητικον, quando cum discursu aliquid judicat bonum, malum, fugiendum, sequendum. Hoc judicium est in medijs, quæ plura sunt, ex quibus, discursu mentis facto, unum eligitur, alterum repudiatur. Monstratum jam & aliquo modo judicatum à mente objectum, voluntas liberè vult, vel non vult, eligit, vel repudiat: licet post hominis lapsum ea sequuta sit, ατακτια facultatum in mente humana, qua fit ut voluntas sæpenumero, quod tanquam malum judicatum est, vel quod improbatum est à mente, illud eligat, contraque quod tanquam bonum judicatū est, & approbatum à mente, illud repudiet.

De mente quoque potest quæri, An possit boni judicium facere, vel bonum approbare, malum autem improbare? Hæc quæstio solvenda est ex quadruplici illo hominis statu. Verùm cum quæratur maximè de mente hominis corrupti, an ea possit bonum approbare malum autem improbare: de mente hominis corrupti responsio nostra erit maximè. Dici

mus

mus itaq; mentem hominis corrupti tantùm posse approbare, quod malum est, si potentiã intelligas propinquam, hoc est eam, quæ formam consequitur: potest etiam approbare, id quod in se bonum est, sed non quà bonum est: cum neque eo modo, neque eo fine, quo debet, illud approbet, quemadmodum suprà dictum est de voluntate. Ad bonum autem humanum approbãdum, mens hominis corrupti est paulò propensior: à bono autem spirituali omninò aliena est. Nam teste Paulo spirituale bonum stultũ judicat, ea enim quæ sunt Spiritus Dei, sunt ei stultitia. *1. Cor. 2.*

Atq; hæc de libertate voluntatis humanæ & libero arbitrio dicta sunto. Nunc de gratia Dei quæ libero arbitrio, siue naturæ contraria est, quęq; nõ modò principalis efficiens est fidei, spei, & resipiscentiæ, verùm etiam sola harũ efficiens est: de gratia, inquã, illa Dei, deinceps erit agendum.

De Gratia Dei. Cap. 38.

GRatia Dei est favor Dei immeritus: vel est, qua Deus favet creaturę suæ absque creaturæ ipsius aliquo merito. Videtur Apostolus *Ephes. 1. 9.* gratiam & εὐδοκίαν Dei pro

pro eodem sumere: Nam quod dicit eo versu, secundum gratuitam suam benevolentiam, sive εὐδοκίαν, eodem sensu dictum esse videtur, cum eo quod dixit superiùs eodem cap. vers. 7. Secundum divitias gratiæ suæ. Videntur etiam gratia Dei, & Charitas, siue dilectio indifferenter accipi. *Rom. 9. 13.* Iacob dilexi: Hæc illa dilectio siue εὐδοκία, siue gratia est qua, Iacobum ab æterno complexus est. *Ephes. 3. 18.* Vt in Charitate, inquit, radicati & fundati, &c. Hęc est illa gratia, qua ab æterno nos prosequutus est Deus *Tit. 3. 4.* Gratia Dei erga homines in specie φιλανθρωπία appellata est.

Porrò latiùs patere videtur gratia quàm misericordia, cum misericordia propriè miseros & peccatores respiciat, gratia verò pateat ad omnes creaturas cujuscunq; sortis sint ęę, tam ad Angelos beatos, quàm ad homines peccatores; vnde in salutationibus, quæ habentur in prima & secunda ad Timotheum Epistola, Gratia primùm vt quiddam latiùs patens, deinde Misericordia, vt angustius aliquid, & gratiam quasi restringens, optantur personæ salutatæ, Timotheo. Nam etsi in illis salutationibus gratia & misericordia metonymicè accipiantur, pro beneficijs

Dei,

Dei, quæ ex gratia & misericordia conferuntur: tamen ex his ipsis satis liquet misericordiam Dei, quę causa est beneficiorum ipsius, angustiùs patere quàm gratiam: Sensus enim est, ac si dixisset Apostolus; Beneficia Dei gratuita, neque gratuita modò, hoc est, gratis ac immeritò collata, sed etiam ex misericordia erga miseros & mala omnia commeritos, multiplicentur vobis.

Vt appareat Dei beneficia omnia ex hac gratia proficisci ad nos, doctrinæ de gratia initium paulò altiùs ex primis suis fundamẽtis repetemus. Deus ab ęterno proposuit glorificari imprimis in gratia sua. *Rom. 11. 32.* Conclusit Deus omnes in contumacia, vt omnium misereretur: quo loco vides ipsam justitiam Dei inservire ipsius misericordiæ & gratiæ: Eadem ratio est & aliarum Dei proprietatum, vt potentiæ, sapientiæ, &c. quę omnes inserviunt suo modo divinæ gratiæ & misericordiæ. Hinc primùm omnium ab æterno extiterunt decreta ex gratia, ad gloriam & laudem ejusdem gratiæ. *Eph. 1. 6. & 12.* Primum Dei decretum ex gratia fuit de Filio suo incarnando, & glorificando suo tempore, ad gloriam gratiæ suæ. De decreto de filio Christo vide *Act. 2. 23. & 4. 28.* de gra-

tia erga Christum, vide *Coloss. 1. 19.* Quoniam in eo placuit patri, &c. vbi εὐδοκίαν patris vides causam esse cur plenitudo deitatis inhabitet in Christo corporaliter. Nam ex gratia fuit admirabili quod voluerit Deus carnem, hoc est, creaturam tam vilem, vniri cum Deo creatore glorioso & incomparabili.

Secundum decretum Dei ex gratia, fuit de homine primùm creando ad imaginem suam, deinde post lapsum reparando in Christo filio suo, ad imaginem filij sui, hoc est, suo tempore in Christo filio suo, vocando, justificando, glorificãdo homine, ad gloriã Christi pariter, & ad gloriam gratię suæ. Summatim enim in his partibus posita est hominis post lapsum reparatio ac restitutio. Vide *Eph. 1. 4. 5. Rom. 9. 11. Rom. 11. 5. 6.*

Hinc sequuta est exequutio decretorum illorum ex eadem illa Dei gratia. Primùm autẽ exequutio fuit decreti de homine; quod quidem naturæ ordine secundum fuit: Nam quod primum fuit decreto & ordinatione, id secũdum evasit exequutione, contraq; quod secundum fuit decreto & ordinatione, id primum factum est exequutione. Primum itaq; locũ obtinuit exequutio decreti de homine, eaque fuit ex eadem illa Dei gratia, ad gloriam

am ejusdem gratiæ. Exequutio igitur decreti de homine, vt de ea dicamus nonnihil, primùm fuit creatio hominis ad imaginem creatoris ex gratia ipsius, ad gloriam ejusdem illius gratiæ: Deinde fuit hominis post lapsum ex gratia reparatio in filio Christo, ad gloriam filij Christi, & ad laudē gratię Dei Patris. Reparatio hæc, quæ altera pars est exequutionis decreti de homine, plures habet in se partes, quæ & ipsę omnes sunt ex gratia, & ad gloriam Christi capitis ac mediatoris primùm tendunt, deinde ad laudem gratiæ Dei Patris. De hoc ordine vide *1. Cor. 3. 22. 23.* Omnia vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei.

Sciendum de reparatione ista humani generis, priusquàm ad ejus partes accedamus, quòd tempore partim præcesserit exequutionē decreti illius de Christo Dei filio, partim verò eam sequuta sit. Nam antequàm venit plenum illud tempus in quo Christus manifestatus est in carne, cœperunt homines reparari jam inde à lapsu, hoc est, vocari, justificari, glorificari; idque virtute, partim decreti illius de Christo, quod inde ab æterno fuit, partim futuræ manifestationis ejusdē Christi. Postquam autem venit plenum illud tem-

pus,& Christus in carne jam manifestatus est, passus est, glorificatus est, reparatio eadem illa hominis evasit jam locupletior atque vberior. Christus enim jam exhibitus efficacior est ad reparationem nostri, hoc est, ad vocationem, justificationem, & glorificationem, quàm fuit idem jam olim, antequàm exhibitus est in carne. Ergo in mediam quasi reparationem hominis, sive exequutionem decreti de homine reparando incidit exequutio decreti illius de filio Dei Iesu Christo, quod primum fuit: Quamobrem nos quoque medio loco de ea agemus, vt hinc ad partes reparationis humani generis transeamus.

Exequutio igitur decreti illius de filio Dei Iesu Christo, posita est in ejus incarnatione, passione,& glorificatione, & quidē ex gratia Dei, quæ partim fuit erga carnē ipsam Christi mediatoris, partim fuit erga nos, qui reparamur per eandem illā Christi carnem cum filio Dei ὑποστατικῶς vnitam. Ex gratia itaq; duplici fuit exequutio decreti de filio Dei Iesu Christo,& fuit quidem ad gloriam gratiæ ipsius Dei.

Nunc redeo ad reparationem illam humani generis, sive exequutionem decreti de homine reparando: Ejus partes summatim sunt,

sunt, vocatio, justificatio, glorificatio. Vocatio, vt de ea dicamus primùm, ex gratia Dei est, sive gratuita est, idque ratione duplici. Primùm enim in efficaci vocatione, promulgatio fœderis, sive Evangelij prædicatio, ex sola Dei gratia est: Vnde *Ephes. 1. 9.* Patefacto, inquit, nobis mysterio voluntatis suæ secundùm gratuitam suã benevolentiam. Deinde fides, qua recipimus promissionem fœderis in Christo oblatam, ex mera Dei gratia est. *Philip. 1. 29.* Vobis, inquit, datum est in Christi negotio, non solùm in eo credere, &c. Ergo fides est donum Dei. Prior illa gratia in vocatione, dici potest gratia vocationis, & communis est quibuscunque vocatis, tam electis illis, quàm reprobis: Posterior verò gratia in vocatione efficaci dici potest gratia fidei, & ad electos propriè pertinet: nam solis ijs qui prædestinati sunt ad vitam æternam datum est credere. Sub gratia fidei comprehendo quoque spei & resipiscentiæ gratiam, quæ loco de vocatione efficaci subalternæ sunt.

Duplicem hanc in vocatione efficaci gratiam sequitur gratia justificationis; nam illa ipsa imputatio quæ sequitur fidem, fideique apprehensionem in vocatione efficaci; ex no-

ua quadam Dei gratia est: Non enim nisi ex gratia est, quòd aliena justitia & satisfactio pro nostra censeantur. vnde *Rom. 3.14.* Iustificamur autem gratis, id est, ejus gratia, & alibi passim. Hanc gratiam perpetuò opponit Apostolus operibus, hoc est, merito nostro, & fidei in Christum, comitem eam ac sociam facit: optimè enim convenit gratiæ Dei cum merito Christi fide apprehẽso, non ideò tantùm quòd meritum illud non sit nostrum, sed Christi, hoc est ipsiusmet Dei, sed vel multò magis quòd Christi satisfactio & meritum illud alienum, ex Dei gratia sit, meraq; liberalitate: Non enim pepercit Deus Filio suo, sed pro nobis tradidit eum in mortem. *Rom. 8.32.* Atque hac de causa fit, vt in Christi illa satisfactione & merito ipsius magis eluceat gratia Dei, majorque appareat, quàm si sine vllo merito vel nostro vel alieno, quo satisfiat ipsius justitiæ, nos justificet. Optimè igitur consistit gratia, qua nos justificat Deus, cum merito illo, & λυτρῳ, quod ipse Deus de suo dedit. Quòd si autem λυτρον illud & precium redemptionis ab ipso Deo non dissolueretur, tum profectò in merito illo ac λυτρῳ non adeò conspiceretur gratia. Quod verò ad meritum hominum attinet, affirmamus nullo

nullo pacto gratiæ Dei cum illo convenire posse.

Gratiam justificationis sequitur gratia glorificationis sive regenerationis: vt enim sententię ipsa latio & dictio, est ex gratia; ita sententiæ latæ, dictæque exequutio ex gratia pariter est. Regeneratio enim, sive glorificatio, exequutio quædam est sententiæ justificationis quæ præcessit. De hac gratia vide *1. Pet. 1. 3.* Qui ex multa sua misericordia regenuit nos in spem vivam. & *Tit. 3. 5.* Ex sua misericordia servavit nos per lavacrum regenerationis & renovationem Spiritus sancti, et *Eph. 2. 5. 8.* Gratia estis servati.

Notandum autem est, in ista humani generis reparatione ejusque partibus omnibus, vnam eandemq; reipsa Dei gratiam esse, quę est principium omnium earum partium; nos verò eam ex effectis suis varijs, variam aliquo modo facere, ac distinguere: non secus atq; Spiritus sanctus qui vnus est. *1. Cor. 12. 4.* ratione discriminis donorum & effectuum ipsius aliquo modo distinguitur, & ratione quadam, non reipsa, alius atque alius est. *Rom. 8. 15.* Non enim accepistis Spiritum seruitutis rursus ad metum, sed accepistis Spiritum adoptionis.

Ex his quæ diximus nota quatuor esse quasi gratias in reparatione hominis ejusq; partibus. Nam cum in efficaci vocatione duplex sit Dei beneficium, primum, oblatio Christi cum beneficijs ipsius in fœdere gratuito sive Evangelio: secundum, fides quæ oblatum Christum recipit (sub Fide intelligo Spem & Resipiscentiam, quæ fidem consequuntur) ideò in efficaci vocatione duę censentur gratiæ, gratia vocationis sive oblationis, gratia fidei sive receptionis. In justificatione est tertia gratia, quam gratiam justificationis nominare possumus. In glorificatione est quarta quam non ineptè gratiam glorificationis vocabimus.

Ex his vides primam gratiam, quam præuenientem vocant, esse eam qua nos primùm ad se vocat Deus per Evangelium suum, vltimam verò gratiam, & gratiæ quasi complementum, eam qua nos in cælis vna cum filio suo glorificat: nam gratiam vltimam inchoat in hac vita, per regenerationem istā inchoatam, absolvet autem eam in altera illa vita, per glorificationem. Hæc de reparationis partibus hactenus, quę ex gratia sunt omnes, & ad gloriam gratiæ diriguntur.

Observandum in genere beneficia Dei omnia,

nia, tàm ea quæ ab æterno fuerunt, quàm ea quæ in tempore sunt, fundata esse pariter in sola meraque Dei gratia: neq; quoad gratiam discrimen esse aliquod inter illa quæ ante tempora sæcularia fuerunt beneficia, verbi gratia, præscientiam, prædestinationem, & hæc quæ in tempore sunt, verbi gratia, vocationem, justificationem, & glorificationem.

Hæc ipsa veritas est ac manet, invitis adversarijs & hostibus illis gratiæ ac crucis Christi, qui tamen libertatem nescio quam voluntatis nostræ, & opera nostra meritoria in vocatione nostri, justificatione & glorificatione volunt concurrere vnà cum Dei gratia. Nam quod ad vocationem, quamvis illud verum esse fateantur, prævenientem nempe gratiam illam, quam dicunt, nos tum primùm nihil de gratia Dei cogitantes, non præparantes nosipsos ad gratiam recipiendam, etiam planè consopitos in peccato, præoccupare: tamē assensionem illam, quā nos fidei tribuimus, qua nimirùm assentimur gratiæ prævenienti, eamq; admittimus, libertati arbitrij nostri asscribunt: quasi verò volūtatis libertas aliqua sit actu, vel, ut loquuntur, potentia propinqua sit voluntatis ad gratiam Dei recipiendā. Nos verò, ut non negamus libertatem sive potentiam

tentiam voluntatis aliquam, qua fit ut ad bonum ipsa aliquo modo propendeat; potentiã intelligo materiæ: ita negamus planè libertatem voluntatis, quæ actu sit: vel, quod idem est, propinquam ejus potentiam ad id quod bonum est, qua bonum est. Potentiam voluntatis propinquam, sive libertatem actu ad bonum definio, eam quæ ex forma sanctitatis, vel imagine Dei voluntati impressa exiſtit, ut patet ex doctrina de libero arbitrio jam à nobis tradita.

Affirmamus itaque in prima gratia recipienda voluntatem nostram habere se tantùm passivè, non autem activè: hoc est, dum prævenit eam Dei gratia, habere quidem ipsam potentiam ad bonum, sed eam materiæ duntaxat, & passivam, quam remotam vocant; in actum autem redigi illam potentiam, & ex remota propinquam fieri, beneficio ipsius gratiæ divinæ nos prævenientis, hoc est, beneficio Spiritus Dei qui cum verbo Evangelij prædicato concurrit, & per illud ipsum verbũ refingit atque renovat corda nostra, inspirando quasi in ea vitam illam Dei, à qua priùs prorsus fuerunt abalienata, ut habetur *Eph.* 4. & creando in ijs quasi denuò amissam illam Dei imaginem, quę in sanctitate & justitia cernitur.

Quod

Quod verò ad justificationem attinet, cum duplicem statuant justitiam; primam, quam vocant habitualem, & secundam, quam actualem nominant: ad primam justitiam præparari nos dicunt libertate arbitrij nostri, tanquam principali agente, & gratia cooperante. Secundam verò collocant in operibus à libertate arbitrij nostri, & à prima justitia, quã infusam gratiam appellant, profectis. Iustitiæ hujus secundę quę est in operibus liberi arbitrij, & infusæ, quam vocant, gratiæ, hujus (inquam) justitiæ merito asscribunt vitam æternam.

Ex quibus vides eos nullum ex his beneficium, non vocationem, non justificationem, non glorificationem, nullum denique ex his omnibus beneficijs spiritualibus, quæ in tempore in nos conferuntur, soli Dei gratiæ tribuere: verùm ea inter gratiam Dei, & libertatem nostram, operaque nostra meritoria partiri. Imò verò, si comparatio Dei & nostri fiat, in his beneficijs conferendis, plus eos videbis tribuere nobis, libertati nostræ, operibus nostris, quàm gratiæ divinæ. Sed de his jam anteà diximus nonnihil, in capite de Vocatione, in capite de resipiscentia, & in capite de libero arbitrio: ideoque lectorem

ad

ad ea loca remittimus: Atque nunc huic doctrinæ finem imponimus.

Hactenus itaque dictum sit de loco Vocationis efficacis, qui, quòd subalternos plures sub se comprehendat, inter generalissimos doctrinæ Theologicæ locos, meritò potest numerari.

FINIS.

DE MODIS QVIBVS DE-

VS AB INITIO FOEDVS

suum utrumque, humano *generi revelavit.*

Modi Revelationis quot.

Q. *QVot sunt omninò modi quibus Deus iam inde á principio universam voluntatem suam, hoc est, vtriusq; fœderis, & operum, & gratiæ, doctrinam, humano generi revelavit?*

R. Duo sunt.

Quinam.

Q. *Quinam illi?*

R. Primus est viva vox; secũdus scriptio

Viva vox quid.

Q. *Quid appellas vivam vocem?*

R. Primum revelationis modum, quo Deus, partim per suiipsius, partim per aliorum os, universam utriusque fœderis doctrinam Ecclesiæ suæ subindè revelavit.

Quorum fuit.

Q. *Quorum fuit viva vox iam inde à principio?*

R. Primũ fuit viva vox Dei ipsius, qui modò per filium suum sub specie humanæ formæ, patribus apparentẽ, modò

dò per Spiritum ſuum intus in animo loquutus eſt: Deinde fuit viva vox Angelorum: Tertiò fuit viva vox hominũ, primùm Patrum, tum Moſis & Prophetarũ, poſtea Iohannis Baptiſtę ad Chriſtum uſque: hinc fuit viva vox ipſius Chriſti jã in carne manifeſtati: poſtremò viva vox fuit Apoſtolorum Chriſti

Qualis

Q. *An modus hic revelationis qui fuit per viuam iſtorum omnium, quos dixiſti, vocem, planè θεοπνευστος & ab erroribus prorſus libera fuit?*

R. De viva voce Deiipſius, Chriſti, & Angelorum nulla quęſtio eſt. Quod ad homines attinet, quorum viva voce vſus eſt Deus inde à mundo condito in revelanda voluntate ſua Eccleſiæ ſuæ, illi quidem etſi homines peccatores erãt omnes, & ex parte tantùm regeniti, tamen in tradenda veritatis & fœderis utriuſq; doctrina, ſic extra ordinem gubernati ſunt & afflati Spiritu Dei ſancto, ut errare nequaquam potuerint.

Q. *Vis ergo omnes quotquot fuerunt inde à mundo condito, per quorum os loquutus eſt Deus Eccleſiæ ſuæ, extraordinarios exſtitiſſe homines, donis Spiritus ſancti extraordina-*

dinariis instructos, & miraculis cõfirmatos?

R. Volo: Non enim libidine hominis allata est olim prophetia, sed acti à Spiritu sancto loquuti sunt sancti Dei homines. 2. Pet. 21.

Q. *Quo tempore cœpit viva vox in Ecclesia?* Quando cœpit.

R. Cœpit in prima hominis creatione

Q. *Quamdiu duravit in Ecclesia viva vox Dei, & hominum, qui in veritatis doctrina tradenda errare non potuerunt?* Quamdiu durat.

R. Duravit inde à mundo condito ad Apostolorum usque decessum, quo toto tẽpore nulla ferè ætas fuit, in qua nõ extra ordinẽ excitatus est, saltẽ unus aliquis sanctus Dei homo, qui in tradẽda veritatis doctrina errare non potuit.

Q. *Cur addis ferè? Anne fuit aliqua intermissio?*

R. Fuit quidem: Sed ego intermissiones aliquot insigniores, quę ex Scriptura sacra colligi possunt duntaxat tibi recensebo. Primùm temporibus Patrum observatur fuisse intermissio ætate Terachi qui pater fuit Abrahami: Nam is, etsi quædam fundamenta veritatis retinuit à Patribus suis sibi tradita, tamẽ apostasi-

postasiam fecit, & evasit Idololatra, ut constat ex historia. Deinde intermissio fuit quo tempore populus in Ægypto ageret: nam à morte filiorũ Iacobi usq; ad exitũ ex Ægypto testatur Ezechiel cap. 20. populum vniversum à Deo ad Idola Ægyptiorum defeciſſe: denique intermissio fuit à Malachia Prophetarũ ultimo, ad Iohannem Baptistam, quo toto temporis spatio nullus Propheta est excitatus: Continuatum tamen est verbum Dei in populo Iudaico per Põtifices & ministerium ordinarium; verùm non sine corruptelis, adeò ut in adventu Christi magna ex parte jam corrupta fuerit veritatis doctrina.

An duret viva vox *theopneustos* ad adventũ vsque Christi

Q. *Annon oportet in Ecclesia Dei durare vivam vocem errori non obnoxiam ad reditum usque Christi: dixisti enim duraſſe vivam vocem in Ecclesia ad Apostolorum duntaxat tempora?*

R. Durat quidem, fateor, in Ecclesia christi viva vox; sed nõ durat viva vox, vel Dei, vel hominum extraordinariorum, quales erant Patres, Prophetæ, & Apostoli: verùm hominum duntaxat ordinariorum, Pastorum, & doctorum, qui

qui & errare possunt, & errant reipsa quandocunq; à verbo scripto Prophetico & Apostolico vel tantillũ recedũt.

Q. Atqui dedit Deus Ecclesiæ suæ quæ nunc est sub Christo, Spiritus sui sancti maiorem mensuram, quàm vnquam dedit veteri Ecclesiæ: Ergo si in veteri Ecclesia viva vox fuit quæ errare non potuit, quantò magis in Christi Ecclesia viva vox erit, quæ errare non poterit.

R. Verum quidem est, cum plena hac revelatione, quę scriptis Apostolicis cõtinetur, datum esse Spiritum pleniorem Ecclesiæ Christi quæ nunc est, quàm qui datus est veteri populo: Sed non ex eo sequitur ita nunc gubernari illo Spiritu vel Ecclesiam, vel pastores, & doctores in Ecclesia, ut in veritate tradenda nõ possint omninò errare: hoc enim donum est Spiritus sancti extraordinarium & temporarium. Spiritus autem donum quod Ecclesiæ Christi datũ est post Apostolorum tempora, ordinariũ est & perpetuum, utpote sanctificationis, illuminationis, & regenerationis donum.

Q. Deteriori igitur loco videtur esse Ec-

clesia quæ nunc est, quàm fuit vetus illa Ecclesia quæ habuit vivam vocem Dei, & hominum, quæ errare non potuit?

R. Non sequitur: nam Scriptura hæc Prophetica & Apostolica, quam nunc habet Ecclesia, & non errat in docēdo, & plenissimam clarissimamque continet revelationem.

2. Vt concedam tibi conditionem Ecclesiæ nostræ meliorem esse, quàm fuit veteris illius quæ ante Mosis tempora exstitit, quæque solam habuit vivæ vocis traditionem, eamque imperfectam admodum & obscuram: non tamen video quî non fuerit meliori conditione Ecclesia illa quæ post Mosen duravit ad Christi vsque adventum, vt quæ non modò traditionem & vivam vocem, sed etiam Scripturam habuerit Propheticam, tāquam lucernam in obscuro loco splendentem?

R. Habuit quidem illa Ecclesia utrūque, & traditionem vivæ vocis, & scriptionem, sed neutrum perfectum ac plenum. Scriptura autem ista, quam solam habet nostra Ecclesia, plenissimam continet revelationem: Præstantiorem autē oportet esse, vel unam aliquam revelationis formam quæ perfectam & plenā

conti-

cõtinet revelationem; quàm duas, quarum neutra cõtinet plenam perfectamque revelationem.

2. At nemo est qui non dicat melius actum iri cum Ecclesia nostra, quæ hodierno die est, si haberet vivam aliquam vocem, quæ in docendo & respondendo ad omnes controversias errare non posset?

R. Habent Mosem, Prophetas, & Apostolos, hoc est, Mosis, Prophetarum, & Apostolorum scripta, & ea quidem non sufficientia tantùm, sed perfectissima: ex quibus quidem si veritatem, & omnium controversiarum decisionem nõ didicerint, profectò ne ex viva quidem alicujus extraordinarij hominis voce informationem aliquam accipere potuerunt, ut de hoc nihil dicam quod jam priùs respondi, vivam vocem tantisper locum habuisse in Ecclesia quantisper aliquid desiderabatur ad plenam mysterij Christi manifestationẽ. Quod si igitur nunc locus esset vivæ voci, vel Dei vel hominis extraordinarii in Ecclesia Christi; profectò id palam argueret, nondum perfectam esse atque impletam veritatis ac mysterij Christi revelationem.

Q. Ergo concludis post Apostolos nullam vivam audiri in Ecclesia vocem, quæ non erret?

R. Concludo.

Cur ab Adamo ad Apost. Fuerit viva vox theopneustos.

Q. Cur toto illo tempore quod fuit ab Adamo ad Apostolos duravit in Ecclesia viva vox errori non obnoxia?

R. Vt de voluntate Dei nihil dicam qua vel sola debemus esse contenti, durationem hanc postulavit primùm Ecclesiæ conditio, deinde revelationis mensura.

Q. Cur Ecclesiæ conditio?

R. Quia Ecclesia visibilis toto illo tempore, quod fuit ab Adamo ad Apostolos, & loco angustior fuit, utpote vel una familia, vel una gente concluſa, & ætate minor ac immaturior fuit: nam Ecclesia ante Christum, vel puer fuit, ut sic dicam, vel adolescens.

Q. Quid tum?

R. Ad Ecclesiam loco angustiorem, & sanctos numero pauciores facilius extendit sese viva vox: & Ecclesia adhuc rudior per ætatē, & immaturior, opus habebat viva docentis voce, nō secus atq; pueri opus habent viva voce

Magistri

Magistri qui cum ipsis quasi balbutiat. Postquàm autem in adventu Christi jam satis est erudita per vivam Christi & Apostolorum vocē, Ecclesia, & jam virilem attigit ætatem; non ampliùs audita est viva aliqua vox, vel Dei, vel hominum extraordinariorum.

Q. *Cur id postulavit revelationis mensura?*

R. Quia toto illo tempore, quod fuit ab Adamo ad Apostolos, restabat adhuc aliquid clariùs & manifestiùs revelandum, & singulis ætatibus facta est continuò manifestior ejusdem, quod ad substantiam attinebat, doctrinæ revelatio: Quamdiu autem fuit aliquid clariùs revelandum, tamdiu oportuit durare vivam vocem: Novam enim revelationem quamcunque oportuit primùm fieri per vivam vocem.

Q. *Posteàquam facta est revelatio ultima & plenissima per vivam Christi & Apostolorum vocem, an ampliùs audita est viva vox, vel Dei vel hominis cuiusquā extraordinarij?*

R. Nulla.

Q. *Nūquid ex his quæ dixisti de causis du-*

Vivæ vocis usus quis fuerit.

rationis vivæ vocis in Ecclesia, colligis ipsius usum, qui fuerit aliquando in Ecclesia?

R. Colligo: usus enim ejus fuit primùm respectu ipsius Ecclesiæ, ut eam, & loco angustiorem, & cognitione rudiorem, doceret: deinde respectu revelationis ut eam subinde clariorem traderet.

Q. Ex hoc quem dicis vivæ vocis usu videtur sequi revelationis eum modum, qui fuit per vivam vocem, simpliciorem, magisque familiarem, adeòque imperfectiorem fuisse, utpote & personis & rebus imperfectioribus convenientem?

R. Est ita ut dicis.

Vivæ vocis subjectum quod.

Q. De viva voce audivi hactenus: nùc velim de eius subiecto aliquid ex te discere: Quid igitur traditum fuisse dicis viva voce toto illo temporis spatio?

R. Omnibus & singulis ætatibus, & una eademque, & tota veritatis doctrina per vivam vocem tradita fuit.

Q. Cur igitur dixisti ætate demùm Apostolorum impletam perfectamque mysterij revelationem?

R. Plenitudinem illam ac perfectionem intellexi, non de substantia ipsius doctri-

doctrinæ, sed de qualitate, hoc est, unius ejusdemq; Doctrinæ claritate. Mysterium enim Christi fuit in Ecclesia, & certo quodam modo manifestatum fuit inde ab Adamo ad Christum & Apostolos: sed si fiat temporum comparatio, clausum fuit & absconditum omnibus sæculis adventum Christi antecedentibus.

Q. An per vivam vocem satis conservata fuit Doctrinæ cælestis puritas?

Viva vox ansufficiat ad conservandã Doctrinæ puritatem: Vbi transitio ad Doctrinam de scriptione.

R. Historia satis docet Doctrinam viva voce traditam, subinde corruptam fuisse & adulteratam.

Q. Quomodò tum instaurata est?

R. Visum est Deo per novas deinde revelationes puritatem verbi sui collapsi restituere, conservare, & pleniorem ejus declarationem addere.

Q. An sic satis est conservata doctrinæ puritas?

R. Ne sic quidem: ideòque visum est Deo tandem ad vivam vocem addere scriptionem.

Q. An non sunt aliæ præterea additæ scriptionis causæ?

Scriptio addita vivæ voci, & eq

R. Sunt: scriptionem enim vivæ vo-

ci adjungendam postulavit primùm Ecclesiæ conditio, deinde revelationis mensura.

Q. *Cur Ecclesiæ conditio?*

R. Quia ætate demùm Mosis, Ecclesia cœpit esse & loco amplior, vtpote diffusa in totam gentem, & ætate major atque provectior: Nam à Mose ad Christum vsq;, fuit quasi Ecclesiæ adolescentia.

Q. *Quid tum?*

R. Vtrique & loci amplitudini, & ætati provectiori ac maturiori convenit scriptio: Nã & vniversa aliqua gens facilius scripto docetur, quàm viva voce? & ætas quæ paulò provectior est, capax est doctrinæ quæ scriptione, hoc est, revelationis modo qui non ita familiaris est & simplex, traditur: atque ex scripto mentem alicujus facilè deprehendit.

Q. *Cur scriptionem adiungendam postulavit revelationis mensura?*

R. Quia, cum ante Mosem revelatio fuisset exigua & obscura admodum, non dum visum est DEO eam statim scripto committere, quo quidem ipsa posteritati conservaretur. Cum verò

ætate

ætate Mosis cœpisset multò clarior esse revelatio, quàm anteà; tum visum est Deo scripto eam committere, quò posteritati ipsa cõservaretur: Quod enim perfectius est & plenius, id solemus nos scripto tradere, ad hoc vt & nobis ipsis & posteris conservetur: Quod verò imperfectius est, non putamus illud dignum quod scripto commendetur & conservetur posteritati.

Digressio est in explicationem ætatum Ecclesiæ.

Q. *Priusquàm longiùs abeas, velim mihi explices Ecclesiæ illas, quarum non semel meministi, ætates?*

R. Explicabo.

Q. *Quotuplicem igitur statuis Ecclesiæ Dei ætatem?*

R. Triplicem. Prima fuit ab Adamo ad Mosem vsque, quæ infantia simul & pueritia Ecclesiæ fuit. Secunda à Mose ad Christum, quæ adolescentia Ecclesiæ fuit. Tertia à Christo & Apostolis ad finem vsque, quæ virilis Ecclesiæ ætas dici potest, si modò comparetur cum præcedentibus illis ætatibus: aliàs enim non nisi cum in cœlis cum capite nostro Christo colligendi sumus viri evademus.

Q. *Vis ne igitur Deum trium istarum ætatum in agendo cum Ecclesia sua perpetuò rationem habuisse?*

R. Volo. Nam vt sic dicam, proportionaliter ad Ecclesiæ tres istas ætates attemperavit hęc tria, nempè primò revelationis mensuram. Secundò Spiritum suum sanctum. Tertiò revelationis modum.

Q. *Explica quæso particulatim quod dixisti?*

R. Ecclesiæ infantiæ & pueritiæ accommodavit minimam revelationis mensurã: scilicet 1. Prima dũtaxat doctrinæ elementa. 2. Spiritus sancti portionem minimam, eam nempè, quæ reuelationi proportionalis erat. 3. vnicum tantùm revelationis modum qui fuit per vivam vocem, vt qui sit infantibus ac rudioribus docendis erudiendisque aptior.

Q. *Intelligo quæ dixisti de prima Ecclesiæ ætate: Nunc velim dicas de media, quam adolescentiam dixisti, & hæc quæ tradidisti tria ei pariter accommodes?*

R. Ecclesię ętati medię accommodavit primùm majorem revelationis men-

mensurã. Secundò maiorem Spiritus sancti, vt sic dicam, portionem. Tertiò denique duplicé revelationis modum, viuam vocem & Scriptionem: Viuam vocem, inquã, quia adhuc rudior fuit: Scriptionem verò quia ætate fuit proiectior, atque ideò capax fuit aliquo modo doctrinæ scriptæ. Temperavit enim Deus inter se duos revelationis modos, & ex vtroque medium quoddam revelationis genus constituit, pro ætatis ratione, quæ media fuit & quasi temperata.

Q. *Dixisti de prima & secunda Ecclesiæ ætate: Nunc de tertia dicas velim?*

R. Ad tertiam deniq; Ecclesiæ ætatem, quã virilem appellavi, accommodavit primùm plenã revelationis mensuram. Secundò plenum Spiritus sancti donum. Tertiò denique vtrumque illum revelationis modum, & eum quidem plenam jam perfectamque revelationem comprehendentẽ. Viva quidem voce eam docuit certo aliquo tẽpore: Hinc adjecit scriptionem Apostolicam: Postquàm autem viva voce primùm mysterium esset plenè revelatum,

tum, deinde scriptioni plena illa revelatio mandata esset, jam finis impositus est vivæ voci. Manſit autem quod scriptum est, primùm per Prophetas, deinde per Apostolos solum, absque viva voce quæ errare non potest.

Q. *Vnde sumus initium tertiæ ætatis Ecclesiæ?*

R. Non tam ab adventu Christi & missione Apostolorum ad omnes gentes, quàm ab eo tempore quo desierunt Apostoli loqui viva voce, tam Iudeis, quàm Gentibus: Tum enim Ecclesia Catholica virilem attigit & incepit ætatem, ac tum cœpit Ecclesia mentem Dei ex solo scripto, vtpote accuratiori & perfectiori quodã revelationis modo, duntaxat intelligere ac discere. Tẽpus igitur quod fuit ab adventu Christi ad discessum vsq; Apostolorum, trãsitus quasi erat à media ad tertiam & virilem Ecclesiæ ætatem.

Q. *Habeo de causis additæ ad viuam vocem scriptionis, deque singulis Ecclesiæ ætatibus: Nunc de scriptione velim mihi ordine tradas aliquid?*

R. Faciam.

Quid

Q. *Quid igitur vocas scriptionem?* Scriptio quid.

R. Scriptionem voco, secundum revelationis modum quo Deus, vel per suam ipsius, vel per aliorum hominum, scilicet, extraordinariorum manus ea revelavit, quæ jã priùs viua voce, hoc est, primo illo revelationis modo sunt tradita.

Q. *Quinam igitur fuerunt, qui iam inde à principio scripserunt?* Quorum fuit.

R. Primum ipse Deus, deinde homines, Moses, Prophetæ, & Apostoli.

Q. *An modus hic revelationis qui fuit per scriptionem errori non est obnoxius, perinde vt modus ille qui fuit per viuam vocem?* Qualis fuit

R. Ita est, nam de Dei ipsius scriptione nulla quæstio est: Homines verò sic extra ordinem afflati sunt & gubernati Spiritu sancto, vt in scribendo errare nequaquam potuerint.

Q. *Quando demùm cœptum est scribi?* Quando cœpit.

R. Ætate Mosis.

Q. *Quamdiu duravit in Ecclesia scriptio?* Quamdiu duravit.

R. Duravit quidem scriptio, hoc est

est ipse scribendi actus à Mose ad Apostolos vsque: quo toto tempore nulla ferè ætas fuit in qua non extra ordinem excitatus est, saltem vnus aliquis, qui in tradenda per scriptum veritatis doctrina, errare non potuit.

Q. *Aliter sentis de ipsa Scriptura atque de scriptione sive scribendi actu?*

R. Sentio: nam Scriptura ipsa, siue id quod jam scriptum est à Mose, Prophetis, & Apostolis, etiamnũ durat in Ecclesia, & durabit ad secundum vsq; Christi adventum.

Q. *An igitur non sine intermissione duravit scriptio in Ecclesia à Mose ad Apostolos?*

R. Ita quidem est: nam constat toto illo tempore, quod fuit à Malachia ad Iohannẽ Baptistam nullum excitatum fuisse, vel Prophetam, vel scriptorem aliquem θεοπνευστον, nam Machabæorum scriptura θεοπνευστος non est, vt posteà videbimus.

Annon duret Scriptio *Theopneustos* ad reditum vsq; Christi

Q. *Dixisti scriptionem durasse ad Apostolorum tantùm tempora, an non oportet eam durare in Ecclesia ad finem vsque.*

R. Vt post Apostolos nulla audi-

tur

tur viva vox in Ecclesia, quę sic per Spiritum sanctum gubernatur vt omninò errare non possit: ita post Apostolos nihil scribitur in Ecclesia quod ἀδιάτυπωτον merito vocari potest.

Q. *Quid igitur sentis de tot scriptis hominum piorum & doctorum, qui post Apostolorum illa tempora, in Ecclesia vsum non mediocrem subinde in lucē exiverunt?*

R. Idem planè sentio de scriptis Pastorum & Doctorum in Ecclesia, quod sentio de eorundam viva voce: nempè, vtrumque erroribus obnoxium esse, & neutrum sic gubernari à Spiritu sancto, vt in tradenda veritate errare omninò non possit.

Q. *Ergo videtur Ecclesiæ conditio quæ est post Apostolorum tempora, non ita bona esse: vt quæ neque viuam vocem, vt iam prius dixisti, neque scriptionem habeat, vt nunc dicis, hominum certè eorum qui in tradenda veritate errare non possunt?*

R. Habet Scripturā Propheticam & Apostolicam, quæ, quoad substantiam revelationis, plena est: quoad verò qualitatem modi revelationis, διάτυπωτος est & errori non obnoxia: ex qua

Scrip-

Scriptura quicunque non discunt omnia quæ ad fidem & salutem sunt necessaria, profectò illi ne ex ore quidem Dei ipsius, coram loquentis & vivam edentis vocem, doctrinam fidei & salutis essent excepturi.

Cur duravit Scriptio à Mose ad Apostolos.

Q. *Cur toto eo tempore, quod fuit à Mose ad Apostolos, duravit in Ecclesia scriptio?*

R. Durationis eædem causæ sunt quæ scriptionis ad vivam vocem additæ: Nam durationem illam postulavit, & Ecclesiæ conditio, & revelationis mensura.

Q. *Cur Ecclesiæ conditio?*

R. Quia Ecclesia continuò auctior facta est, & numero, & cognitione.

Q. *Quid tum?*

R. Major hominum numerus & cognitio maturior postulant scriptionem.

Q. *Cur revelationis mensura?*

R. Quia revelatio subinde clarior euasit ad Christi & Apostolorum vsque tempora, quibus demùm temporibus perfecta est & completa. Oportuit autem scripto mandari clariorem & pleniorem quamq; revelationem ad hoc

vt firmiter conſervaretur, & poſteris traderetur.

Q. *Ex his colliges ſcriptionis in Eccleſia continuatæ vſum?* Scriptionis vſus quis fuerit

R. Colligam.

Q. *Quis igitur vſus fuit?*

R. Vt nihil de puritatis conſervatione dicam, vſus fuit primùm reſpectu ipſius Eccleſiæ, vt eam jam ampliorem loco, & cognitione perfectiorem doceret, Deinde reſpectu revelationis ipſius vt eam plenioré & clariorem comprehenderet atque conſervaret.

Q. *Ex hoc, quem tradis, Scripturæ vſu videtur ſequi revelationis hunc modum, qui eſt per ſcriptionem, perfectiorem eſſe aliquàtò & ſublimiorem, vtpote & perſonis & rebus perfectioribus convenientem?*

R. Eſt quidem ita vt dicis.

Q. *De ipſa ſcriptione audivi: Nunc velim de ſubiecto ſcriptionis, et de re ipſa ſcripto tradita, aliquid mihi exponas?* Scriptionis ſubjectum quod?

R. Idem ſcriptum eſt quod viva priùs traditum fuit.

Q. *Velim mihi ordine dicas de ſubiecto ſcriptionis, primùm Dei, deinde hominũ, Moſis, Prophetarum, & Apoſtolorum.*

R. Dicam.

Scriptum Dei. *Q. Quid igitur scripsit Deus?*

R. Summam doctrinę fœderis operum & legis, quam ipsam primùm viva voce tradiderat Patribus, & Mosi.

Scriptum Mosis. *Q. Quid scripsit Moses?*

R. Totam doctrinam cęlestem, quā partim à Patribus per traditionem acceperat, partim à Deo ipso loquente ipsi ore ad os (vt cum Scriptura loquar) audiverat: partim à Spiritu sancto per afflatum internum didicerat: partim denique quæcunque sibi & populo toto vitæ suæ tempore per annos 120. contigerant: hæc omnia in literas redegit, & populo exhibuit.

Q. An igitur à Mose scriptum est quicquid doctrinæ veræ traditum fuerat iam inde à mundo condito?

R. Nihil omissum est à Mose veræ doctrinæ, quod vnquam traditum fuerat, vel de fide, vel de bonis moribus. Nam inde ab initio tradita fuit omnibus ætatibus vna eademq; & tota, quoad substantiam, veritatis doctrina. Discrimen tantū fuit in revelationis mensura, hoc est, in accidente: Hæc autem

doctrina

doctrina eadē & tota, à Moſe primùm viua voce tradita eſt apertiùs & clariùs, quàm vnquam anteà, deinde ſcripto commiſſa eſt.

Q. Quid ſcripſerunt Prophetæ poſt Moſem excitati, ſinguli ſuo tempore atque ordine? Scriptum Prophetarum.

R. Idem & totum quoad ſubſtantiam quod ante ipſos Moſes ſcripſerat: tantū in hoc diſcrimē fuit, quòd quiſque ex divina revelatione addebat interpretationem illuſtriorem, prout Lucifer ille novi Teſtamenti magis magiſque appropinquabat.

Q. Quid ſcripſerunt poſt Prophetas Apoſtoli? Scriptum Apoſtolorum.

R. Idem & totū quod inde à condito mundo omnibus ætatibus ante ipſos, & viua voce traditum, & ſcriptum fuerat, primùm viva voce tradiderunt, deinde ſcriptis commendarunt.

Q. Nullum ne ſtatuis diſcrimen inter ſcripta Prophetica & Apoſtolica? Scripti Prophetici & Apoſtolici diſcrimen.

R. In re & ſubſtantia nullum, in rei claritate & accidente magnum: Continet enim Scriptura Apoſtolica revelationem myſterij, inde à mundo condi-

to multò clariſſimam & pleniſſimam.

Duorum revelationis modorum comparatio.

Q. *Audiui de vtroque revelationis modo extra comparationem ſpectato: Nunc velim inter ſe vivam vocẽ & ſcriptionem compares, vt ex hac comparatione appareat vtra maioris ſit dignitatis atque authoritatis?*

R. Comparationem duorum modorum inter ſe faciam. Comparantur viva vox & ſcriptura vel in ſubſtantia & in reipſa quæ his modis revelatur, vel in ipſis revelationis modis. Si comparatio fiat in re, jam vtriuſque æqualitas eſt, cum res ſit eadem vtrobique: Sin revelationis modos inter ſe compares, profectò non poteſt negari vivæ voci locus prior ac dignior, cum viva vox & antiquior tempore fuerit, & organis prior ſit (os enim organon prius ac dignius eſt manu) & magis accõmoda ſit ad captum rudiorum, ac familiarior docendi ratio. Quamquam ſunt quoque in quibus ſcriptio vivam vocem antecellat: eſt enim perfectior & accuratior quidam revelationis modus perfectioribus docendis conveniens, & firmior veritatis cuſtos. Non eſt negandum interea

te reâ vtrumq; inter se parem esse aliis respectibus: idem enim & loquuti sunt, & scripserunt, & eodem modo, nempe acti a spiritu sancto, atq; inspirati à Deo. 2 Pet. 1. 21. 2 Tim. 3. 16. Denique postquam jam cessavit viva vox, ex Dei voluntate, scriptio in ejus locum est surrogata, adeo ut tola illa dignitas quæ vivæ vocis fuerat jam merito scriptionis sit habenda.

Q. Visne igitur scriptionem hanc Propheticam & Apostolicum a nobis eodem dignitatis loco habendam quo a superioribus statibus habita est ipsa viva Dei & hominum extraordinariorum vox?

R. Volo, & in hoc revelationis modo solo tanquam θεοπνευστῳ lubens acquiesco, tantisper dum vocem illam Christi servatoris vivam, longeq; suavissimam audiero in illustri ipsius adventu, cum dicet iis qui ad dexteram ipsius erunt, Venite benedicti Patris mei; possidete regnum paratum vobis a jactis mundi fundamentis. Huic sit omnis gloria in omnia secula.

Amen.

INDEX

INDEX CAPITUM.

Methodus locorum Theologicæ communium præfixa tractatui.

De Vocatione efficaci. pag. 1.

De Verbo Dei sive fœdere in genere, et de fœdere operum in specie. pag. 8.

De fœdere gratiæ. — — — 16.

De iis qui sunt sub fœdere Dei comprehensi 39

Comparatio nostræ et Adversariorum sententiæ de fœdere hoc utroque. 45.

De Verbo sive fœdere Dei scripto. 55.

De numero controversiarum quæ sunt de Verbo scripto: deq; prima Controversia, An Scriptura sit Dei verbum. 58

Qui constet Scripturam esse Verbum dei 65.

De Scripturæ Sacræ prima proprietate, de qua Controversia tertia. 77.

De secunda proprietate Scripturæ, de qua controversia quarta. 81.

De tertia Scripturæ Sacræ proprietate, de qua Controversia quinta. 87.

De proprietate quarta, controversia autem sexta. 92.

De proprietate Scripturæ Sacræ quinta, controversia autem septima 97.

De proprietate sexta, Controversia octava. 102.

De

De proprietate septima, controversia nona. 106.
De proprietate octava, controversia autem decima. 109.
De quæstionibus de Scriptura sacra magis accidentalibus, ac primùm de libris quibus continetur Scriptura. 111.
De authentica Bibliorum editione. 121.
De editione Græca Novi Testamenti. 131.
De versionibus Veteris Testamenti. 138.
De versione Novi Testamenti Syra. 148.
De Latinis versionibus utriusq; Testamenti. 149.
De versionibus vernaculis. 153.
De Peccato in genere. 171.
De peccato originali. 180.
De Concupiscentia. 197.
De actuali peccato. 199.
De peccato in Spiritum sanctũ cõtroversia. 210.
De Fide justificante. 217.
De improprijs Fidei acceptionibus. 231.
Adversariorum de Fide sententia. 244.
De Spe. 266.
De Charitate. 276.
De Resipiscentia. 281.
Quousque possit impius progredi in resipiscentia. 292.
De Pœnitentia quid sentiant Papistæ. 296.
De Libero arbitrio humano. 301.
De Gratia Dei. 319.

FINIS.